DS104.5
T6
v. 1
pt. 1

U.C.R.

ITINERA

HIEROSOLYMITANA

ET

DESCRIPTIONES TERRAE SANCTAE

BELLIS SACRIS ANTERIORA

&

LATINA LINGUA EXARATA

sumptibus


SOCIETATIS

ILLUSTRANDIS ORIENTIS LATINI MONUMENTIS

ediderunt

TITUS TOBLER & AUGUSTUS MOLINIER

I



GENEVAE

Typis J.-G. Fick

VII

ANTONINI MARTYRIS

PERAMBULATIO

LOCORUM SANCTORUM

[circa 570]

CODICES MANUSCRIPTI

QUIBUS USUS EST EDITOR.

G. Cod. membran. in bibliotheca veteris abbatiæ Sangallenſis, 133, min. 8°, fæc. IX.

B. Cod. membran. in bibliotheca publica Bruxellenſi, 2922, min. 4°, fæc. IX.

Bern. Cod. membran. in bibliotheca civitatis Bernenſis, 582, 8°, fæc. IX, ſeu X.

P. Cod. membran. in bibliotheca nationali Pariſienſi, lat. 12,277, fæc. XI.

L. Cod. membran. in muſeo Britannico, Addit. 15,219, 4°, fæc. XII.

V. Cod. membran. in bibliotheca imperiali Vindobonenſi, 4°, fæc. XII, ſeu XIII.

Vat. Cod. membran. in bibliotheca Vaticana, 636, A, f°, fæc. XIII.

C. Cod. membran. veteris abbatiæ Caduini, min. f°, fæc. XV.

Ber. Cod. membran. in bibliotheca regia Berolinenſi, lat. 32, 8°, fæc. XV.

M. Fragmentum membran. in bibliotheca regia publica Monacenſi, Docen R d^a^, 12°, fæc. X.

DE LOCIS SANCTIS

QUÆ PERAMBULAVIT

ANTONINUS MARTYR

* *
*

I. *Conſtantinopolis, Cyprus, Antaradus, Tripolis, Byblus, Trieris, Berytus.*

PRECEDENTE[a] beato Antonino Martyre una cum collega ſuo, ex eo quod civitatem *Placentiam* egreſſus ſum, in quibus locis ſum peregrinatus, vie[b] veſtigia Chriſti ſequi cupiens & miracula prophetarum pervidere, edicere curabo.

Ita exeuntes de Placentia *Conſtantinopolim* venimus, de qua egreſſi venimus in inſulam *Cyprum*, in civitatem *Conſtantiam*, in qua requieſcit ſanctus Epiphanius: civitatem pulchram & delicioſam, ornatam palmis dactylorum. Deinde venimus in partes *Syrie*, in inſulam *Antaradum*, & inde venimus in *Tripolim* Syrie, ubi requieſcit ſanctus Leontius, que civitas tempore luſtiniani imperatoris ſubverſa eſt terre motu cum aliis civitatibus. Venimus inde *Byblum*, que & civitas cum hominibus ſubverſa

a. *In aliquibus codd.* procedente. — b. *P.*

eſt; item in civitatem *Trierim*, que & ipſa ſubverſa eſt ſimiliter. Deinde venimus in civitatem ſplendidiſſimam *Berytum*, in qua nuper fuit ſtudium litterarum: que & ipſa ſubverſa fuit. Dicente nobis epiſcopo civitatis, cui cognite fuerant perſone nominatim, exceptis peregrinis triginta millia ad breve miſere hic perierunt. Ipſa civitas iacet ſub montanis *Libani*.

II. *Sidon, Aſclepius, Sarepta, Tyrus, Ptolemais.*

A Beryto venimus *Sidonem*, que & ipſa ex parte ruit & adheret Libano. Homines in ea peſſimi. Et illic currit fluvius *Aſclepius*, & fons inde ſurgit. De Sidone venimus *Sareptam*, que civitas modica & valde chriſtiana eſt: in qua cenaculum eſt, quod factum fuerat Helie, & lectus, ubi recubuit, & alveus marmoreus, ubi illa mulier fermentavit. In quo loco multa offeruntur, & virtutes multe illic fiunt. Exeuntes de Sarepta venimus in civitatem *Tyrum*, a Sarepta milliario ſeptimo. Tyrus civitas habet homines potentes: vita peſſima, tanta luxuria, quanta dici non poteſt, gynecea publica, & oloſericum & diverſa genera telarum. Exinde venimus *Ptolemaidam*, civitatem honeſtam, ubi invenimus monaſteria bona.

III. *Sycaminum, caſtra Samaritanorum, monaſterium Heliſei in monte Carmelo, Porphyrion.*

Contra Ptolemaidem, ſexto milliario, civitas eſt, que vocatur *Sycaminum*, ſub *monte Carmelo*, ubi, milliario a Sycamino, ſunt *caſtra Samaritanorum*, & ſupra ipſa caſtra, milliario ſemis, *monaſterium Heliſei* prophete, ubi occurrit ei mulier, cuius filium ſuſcitavit. In monte Carmelo invenitur petra modica rotunda, que, quando agitur, ſonat, quia ſolida eſt. Talis eſt virtus petre: ſi ſuſpenſa fuerit

mulieri vel cuicumque animali, iactum nunquam faciet. Ad millia ſex aut ſeptem civitas *Porphyrion*.

IV. *Diocefarea, Cana.*

De Ptolemaida miſimus maritima & venimus in fines *Galilee*, in civitatem *Diocefaream*, in qua adoravimus amulam & caniſtellum ſancte Marie. In ipſo loco erat & cathedra, in qua ſedebat, quando ad eam angelus venit. Deinde milliario tertio venimus in *Canam*, ubi ad nuptias fuit Dominus, & accubuimus in ipſo accubitu, ubi ego indignus parentum meorum nomina ſcripſi. Hydrie due ibi ſunt, ex quibus unam implevi aqua & protuli ex ea vinum, & in humerum plenam levavi & obtuli ad altare: & in ipſo fonte pro benedictione lavimus.

V. *Nazareth.*

Deinde venimus in civitatem Nazareth, in qua ſunt multe virtutes. Ibi etiam pendet in *ſynagoga* tomus, in quo Dominus ABC habuit impoſitum: in qua etiam ſynagoga poſita eſt trabs, ubi Dominus cum aliis ſedebat infantibus, que trabs a chriſtianis agitatur & ſublevatur; ludei vero nullo modo eam agitare poſſunt, ſed nec permittit ſe foras tolli. *Domus ſancte Marie baſilica* eſt, & multa ibi ſunt beneficia de veſtimentis eius. In civitate vero illa tanta eſt gratia mulierum hebrearum, ut in terra illa inter Hebreas pulchriores non inveniantur, & hoc a ſancta Maria ſibi conceſſum dicunt; nam & parentem ſuam eam dicunt fuiſſe. Et dum nulla ſit caritas Hebreis erga Chriſtianos, ille omnes ſunt caritate plene.

Provincia paradiſo ſimilis, in tritico & in frugibus ſimilis Egypto. Modica quidem eſt terra, ſed precellit in vino & oleo, pomis ac melle. Sed & milium eſt ibi extra naturam altum nimis, ſuper ſtatum hominis talea groſſa.

VI. *Tabor, Neapolis.*

De Nazareth venimus in montem *Tabor*, qui mons exit in medio campeſtri: terra viva, tenens in circuitu millia ſex, in aſcenſu millia tria, furſum ad unum milliarium planus. In quo ſunt tres eccleſie,[a] ubi dixit Petrus ad Ieſum: *Faciamus hic tria tabernacula.* In circuitu montis diverſe ſunt civitates, que in Libro regum leguntur. De Tabor venimus in civitatem, que alio tempore appellata eſt *Sichem*,[b] nunc vero dicitur Neapolis: in qua puteus eſt, ex quo Dominus a muliere ſamaritana aquam petiit. Ibique facta eſt baſilica in honorem ſancti Iohannis Baptiſte, & ipſe puteus eſt ante cancellos altaris, & ſitula ibidem, de qua dicitur, quod Dominus biberit. Multi egri ibi veniunt & ſanantur.

VII. *Tiberias, mare, Capharnaum, Ior & Dan, Iordanis, Gadara, therme Helie, fluvius Gadara.*

Deinde venimus ad *mare Tiberiadis*, in civitatem Tiberiadem, in qua ſunt therme ſalſe; nam aqua maris ipſius dulcis eſt, quod mare circuit millia octo. Deinde venimus in civitatem *Capharnaum*, in domum beati Petri, que eſt modo baſilica. Inde tranſeuntes per caſtra vel vicos aut civitates, venimus ad duos fontes, hoc eſt, *Ior* & *Dan*, qui in unum confluunt & vocantur *Iordanis* parvus; ingreditur mare, pertranſit totum pelagus & exit in alio littore maris. Revertentes venimus in locum, ubi Iordanis egreditur mari, & in ipſo loco tranſivimus Iordanem, & venimus in civitatem, que vocatur *Gadara*, que & Gabaon dicitur. In iſta parte, milliario tertio ab urbe, ſunt aque calide, que appellantur *therme Helie*, ubi leproſi mun-

a. *G.* baſilice. — b. *Sic ego, al.* Samaria.

dantur. Ibi eſt xenodochium ad publicas delicias. Hora veſpertina mundantur therme. Ante ipſum clibanum aque grande eſt ſolium, quod dum impletum fuerit, omnia oſtia clauduntur. Et per porticum mittuntur intus infirmi cum luminaribus & incenſo, & ſedent in illo ſolio tota nocte, & dum ſoporati fuerint, videt ille, qui curandus eſt, aliquam viſionem, & dum eam recitaverit, abſtinentur ipſe therme ſeptem diebus, & intra ſeptem dies mundantur. Ibique mortuus eſt collega noſter Iohannes de Placentia, maritus Thecle. Ipſe *fluvius* calidus, qui *Gadara* dicitur, deſcendit torrens & intrat Iordanem, & ex ipſo ampliatur Iordanis & maior fit.

VIII. *Scythopolis, Sebaſte, Samaritani infeſti.*

Et tunc deſcendimus per Galileam iuxta Iordanem, tranſeuntes multas civitates, que leguntur, & venimus in civitatem, metropolim Galilee, que vocatur *Scythopolis*, in monte poſitam, ubi ſanctus Euſebius [a] multas operatus eſt virtutes. Exinde deſcendimus per aliqua [b] loca *Samarie* [c] in civitatem *Sebaſten*, in qua requieſcit Heliſeus propheta. Deſcendentes per campeſtria, per civitates & *vicos Samaritanorum* & plateas, unde tranſivimus, veniebant poſt nos Iudei paleis veſtigia noſtra incendentes. Tanta eſt illis execratio Chriſti, ut vix chriſtianis quidem reſponſum faciant, & ſunt ratione, ut quod ab illis emere vis, non tangas, antequam pretium des: quodſi tetigeris & non comparaveris, mox ſcandalizabuntur. Nam foris vicum condomam habent poſitam & in ipſa talem perſonam, que dat reſponſum venientibus; nummos autem non accipiunt de manu tua, ſed in aquam proiicies eos, & denunciant tibi, quando ingrediaris. Tu vero noli

a. ? *Sic ego, al.* Iohannes, ubi Dominus. — b. *P.* alia. c. *Omitto* & Iudee.

exſpuere; ſi enim exſpueris, ſcandalizabuntur. Sero autem purificant ſe in aqua & ſic ingrediuntur in vicum aut civitatem.

IX. *Locus quinque panum, baptiſmi dominici, tranſitus Iſraelitarum, Hermon, ros medicis ſerviens, ubi baptizabat Iohannes.*

Deinde venimus in *locum*, ubi Dominus de *quinque panibus* & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiavit, exceptis parvulis & mulieribus, in extenſa campania habente oliveta & palmeta. Exinde venimus in locum, *ubi baptizatus eſt Dominus*. In ipſo loco *filii Iſrael tranſierunt Iordanem*, & filii prophetarum perdiderunt ſecurim, & ex ipſo loco Helias aſſumtus eſt in celum. Ibique eſt mons *Hermon* modicus, qui legitur in Pſalmo. Ad pedes montis ipſius aſcendit de fluvio nubes hora prima oriente ſole, & venit Hieroſolymam ſuper baſilicam, que eſt in Sion, & ſuper baſilicam ad monumentum Domini[a] & ſuper baſilicam ſancte Marie & ſancte Sophie, que fuit pretorium, ubi auditus eſt Dominus. Super hec loca deſcendit ros ſicut pluvia. Colligunt eum medici, & in ipſo coquunt omnes confectiones pro xenodochiis; nam multi languores ſanantur ibi, ubi cadit ipſe ros, de quo propheta David canit: *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion*. In illa parte Iordanis eſt *fons, ubi baptizabat Iohannes*. Inde uſque ad Iordanem millia duo. In ipſa valle inventus eſt Helias, quando ei corvus deferebat panem & carnes. In circuitu vallis ipſius multitudo eremitarum eſt.

a. *Tantum G.* ſuper baſil. ad mon. D.

X. *Salamaida, therme Moyſis, mare Salinarum, Segor, monumentum Abſalonis.*

Et ibi prope eſt civitas, que vocatur *Salamaida*, ubi remanſerunt due ſemis tribus filiorum Iſrael, priuſquam tranſirent Iordanem. In quo loco therme ſunt, que vocantur *therme Moyſis*, ubi etiam leproſi mundantur. Et ibi eſt fons aquam habens dulciſſimam, que pro catarthico bibitur, & multos ſanat languores, non longe a *mari Salinarum*, in quod Iordanis ingreditur ſubtus Sodomam & Gomorrham: ad cuius littus bitumen & ſulphur colligitur. In quo mari menſe Iulio & Auguſto & uſque medium ſeptembrem toto die iacent leproſi; ad veſperum autem lavantur in ipſis thermis Moyſis & aliquoties, quos vult, Dominus mundat; nam in generalitate eſt aliqua paramitia [Παραμυθία]. In quo mari nihil invenitur vivificatum; nec ligna, nec palee ibi natant, neque homo natare poteſt, ſed quidquid in illud proiectum fuerit, in profundum demergitur. De Iordane uſque ad locum illum, in quo Moyſes de corpore exivit, ſunt millia octo, & exinde non multum longe ad *Segor*, in quibus locis ſunt multi eremite. Vidimus & ibi *monumentum Abſalon*, filij David.

XI. *Jordanis, epiphania.*

Tenuimus *theophaniam iuxta Iordanem*, & fiunt mirabilia in illa nocte in loco, ubi baptizatus eſt Dominus. Et eſt ibi tumulus cancellis circumdatus, & in loco, ubi aqua rediit in alveum ſuum, poſita eſt crux lignea intus in aqua, & gradus deſcendunt uſque ad aquam ex utraque parte ripe ſtrata marmore. In vigiliis theophanie grandes fiunt vigilie, magnus ibi fit conventus populorum, & gallo quarta aut quinta vice canente, fiunt matutine. Completis matutinis, albeſcente die, procedunt diaconi

ad ſacra myſteria ſub divo & tenent ea, deſcendit ſacerdos in fluvium, & hora, qua ceperit benedicere aquam, mox Iordanis cum magno ſtrepitu poſt ſe revertitur & ſtat aqua ſuperior, uſque dum baptiſmus perficiatur; inferior vero fluit in mare, dicente Pſalmiſta: *Mare vidit & fugit; Iordanis converſus eſt retrorſum.* Et nunc omnes Alexandrini, qui naves habent, cum hominibus calatos plenos aromatibus & balſamo tenentes, hora, qua ſacerdos benedixerit fontem, antequam incipiant baptizare, fundunt illos calatos in fluvium & tollunt inde aquam benedictam, & exinde faciunt aquam aſperſionis in navibus ſuis, antequam exeant ad navigandum. Baptiſmo completo, omnes deſcendunt in fluvium pro benedictione, induti ſindonibus (& aliis multis ſpeciebus), quas ſibi ad ſepulturam ſervant. Omnibus perfectis, aqua revertitur in locum ſuum. Et unde ſurgit Iordanis a mari Tiberiadis uſque ad mare Salinarum, ubi deficit, ſunt millia cxxx.

XII. *Spelunca puellarum, monaſterium S. Iohannis.*

In ipſa vero ripa Iordanis eſt ſpelunca, in qua ſunt *cellule ſeptem cum ſeptem puellis*, que illuc infantule mittuntur, & cum aliqua ex eis mortua fuerit, in ipſa cellula ſepelitur, & alia cellula inciditur, & mittitur in eam alia infantula, ut numerus ſtet. Habent foris, qui eis cibaria parant. In quem locum cum magno timore ingreſſi ſumus ad orationem; nullius ibi faciem vidimus. In ipſo loco dicitur eſſe ſudarium, quod fuerat ſuper caput Ieſu. Super Iordanem, non multum longe a Iordane, ubi baptizatus eſt Dominus, eſt *monaſterium Sancti Iohannis* valde magnum, in quo ſunt xenodochia duo. In iſta vel in illa ripa Iordanis per loca ſubmontana inveniuntur ſerpentes, de quibus theriaca conficitur. Inde venimus Iericho.[a]

a. *In aliis mſſ.* ad Iordanem.

XIII. *Iericho, Galgala, campus facer Domini.*

De Iordane uſque ad *Iericho* ſunt millia ſex. Iericho in oculis omnium[a] videtur ut paradiſus. A terre motu muri diruti. Domus Raab ſtat, que eſt xenodochium, & ipſum cubiculum, in quo exploratores depoſuit, eſt *oratorium Sancte Marie*. Lapides vero illi, quos levaverunt filij Iſrael de Iordane, non longe a civitate Iericho poſiti ſunt in baſilica poſt altare, & ante baſilicam eſt *campus facer Domini*, in quo Dominus manu ſua ſeminavit, ſerens ſatum uſque ad modios tres, qui etiam bis in anno colligitur, at menſe februario, ut exinde in paſcha communicetur. Cum collectum fuerit, aratur & iterum cum reliqua meſſe colligitur, & nunquam ſeritur, ſed ex ſe profert ſemen.

XIV. *Fons Heliſei.*

At vero fons aque, quam indulcavit Heliſeus propheta, irrigat omnem Iericho, ubi naſcitur vinum potens,[b] quod febricitantibus datur. Ibi naſcuntur dactyli, ex quibus mecum adduxi in provinciam & unum domino Paterio patricio dedi. Ibi naſcitur & cedrus de cubitis xl & virga faſiola pedes duos longa. Ibi eſt & vitis, unde in aſcenſione Domini plene ciſte racemis in monte Oliveti venales ſunt, & in pentecoſte muſtum & exinde calata plena proponuntur.

XV. *Arbor Zachei, Sodoma & Gomorrha, ſtatua ſalis.*

Exeuntes de Iericho venimus contra Hieruſalem. Non longe a civitate Iericho eſt illa *arbor*, in quam *Zacheus* aſcendit, ut videret Dominum, & intra[c] oratorium incluſa

a. *P.* hominum. — b. *B.*, *P.*, *Ber.* potiſcon. — c. *G.*, *al.* infra.

eſt, & per tectum deſuper ſicca videtur. Igitur exeuntes porta[a] de Iericho, ab oriente contra occidentem venientes, in ſiniſtra manu intravimus favillas[b] *Sodome* & *Gomorrhe*, ſuper quam provinciam deſcendit ſemper nubes obſcura cum odore ſulphureo. Quod vero dicunt de *ſtatua*[c] *uxoris Loth*, quod lingendo ab animalibus minuatur, non eſt verum, ſed ſtat in eo ſtatu, in quo fuit.

XVI. *Bahurim, Bethania, mons Oliveti.*

Aſcendentes per montana Hieroſolymorum, non longe ab Ieruſalem, venimus in *Bahurim*. Inde revertentes ad ſiniſtram ad oppida montis Oliveti, venimus in *Bethaniam*, ad *monumentum Lazari*. Reſpicientes valles illas & perambulantes monaſteria multa & mirabiliorum loca, vidimus multitudinem incluſorum virorum ac mulierum in *monte Oliveti*. Et ſurſum in monte, ubi Dominus aſcendit ad patrem,[d] vidimus mirabilia multa & cellulam, ubi clauſa fuit vel iacet Pelagia in corpore, & in ipſo monte iacet Iacobus Zebedei & Cleophas & multa corpora ſanctorum.

XVII. *Vallis Gethſemane ſive Ioſaphat, baſilica Sancte Marie, Hieroſolyma, templum.*

Deſcendentes de monte Oliveti, venimus in *vallem Gethſemane*, in locum, ubi traditus eſt Dominus: in quo ſunt tria accubita, in quibus ille accubuit, & nos pro benedictione accubuimus. Et in ipſa valle eſt *baſilica Sancte Marie*, quam dicunt domum eius fuiſſe: in qua monſtratur ſepulcrum, de quo dicunt ſanctam Mariam ad celos fuiſſe ſublatam. Ipſa vallis Gethſemane, inter montem Sion & montem Oliveti poſita,[e] ibidem vocatur Ioſaphat.

a. *G., al. om.* porta. — b. *G., al.* villas, villis. — c. *Addo* ſtatua. — d. *In pluribus mſſ.* ubi & iudicare veniet. — e. *Ed. Iul. And.* inter.. poſita.

De Gethſemane aſcendimus ad portam *Hieroſolyme* per gradus multos. In dextra parte porte eſt olivetum & ficulnea, in qua Iudas laqueo ſe ſuſpendit, cuius talea ſtat munita petris. Hec eſt porta civitatis, que coheret porte ſpecioſe, que fuit *templi*: cuius liminare & trabulatio ſtat.

XVIII. *Monumentum Domini.*

Oſculantes proni in terram, ingreſſi ſumus in ſanctam civitatem, in qua perreximus ad monumentum Domini, adorantes ipſum. Monumentum, in quo corpus Domini Ieſu Chriſti poſitum fuit, in naturale exciſum eſt petra. Lucerna erea, que illo tempore ad caput ipſius poſita fuit, ibi ardet die noctuque: ex qua benedictionem accepimus, & recompoſuimus eam. In quod monumentum de foris mittitur terra, & ingredientes exinde benedictionem tollunt. Lapis, unde clauſum fuit monumentum, ante os monumenti eſt: color[a] vero petre, que exciſa eſt de petra Golgotha (dignoſci non poteſt); nam ipſa petra ornata eſt ex auro & gemmis. Poſtmodum de ipſa petra factum eſt altare in loco, ubi crucifixus eſt Dominus Ieſus. Petra vero monumenti veluti molaris eſt infinite ornata: virgis ferreis pendent brachialia, dextrocheria, murene, monilia, annuli capitulares, cingula gyrata, balthei & corone imperatorum ex auro & gemmis, & ornamenta plurima de imperatricibus. Monumentum ſic quaſi in modum mete eſt coopertum ex argento & ſub ſoles aureos ante monumentum altare poſitum.

XIX. *Golgotha.*

A monumento uſque ad Golgotha ſunt greſſus octoginta. Ab una parte aſcenditur per gradus, ubi Dominus noſter aſcendit ad crucifigendum. In loco, ubi crucifixus

a. *G.* viride.

fuit, paret cruor ſanguinis in ipſa petra. In latere petre eſt *altare Abrahe*, ubi ibat offerre Iſaac. Ibi & *Melchiſedec* obtulit *ſacrificium*, quando Abraham revertebatur cum victoria a cede Amelech. Tunc ibidem dedit ei Abraham omnem decimationem in hoſtias. Iuxta altare eſt crepatura,[a] ubi ponis aurem & audies flumina aquarum, & ſi iactas malum, pomum aut aliquid, quod natare poteſt, & vadis ad Siloam fontem, & ibi ſuſcipies. Inter Siloam & Golgotham credo eſſe milliarium. Hierosolyma aquam vivam non habet preter Siloam fontem.

XX. *Baſilica Conſtantini, cubiculum cum cruce.*

De Golgotha uſque ad locum, ubi inventa erat crux, ſunt greſſus quinquaginta. In *baſilica Conſtantini* coherente circa monumentum vel Golgotha, in atrio ipſius baſilice, eſt *cubiculum, ubi lignum ſancte crucis* poſitum eſt, quod adoravimus & oſculati ſumus; nam & titulum, qui ſuper caput Ieſu poſitus erat, &[b] in quo ſcriptum eſt: *Ieſus Nazarenus, rex Iudeorum*, vidi & in manu mea tenui & oſculatus ſum. Quod lignum crucis de nuce eſt. Procedente ſancta cruce ad adorandum de cubiculo ſuo & veniente in atrium, ubi adoratur, eadem hora ſtella apparet in celo & venit ſuper locum, ubi crux reſidet. Et dum odoratur crux, ſtat ſupra eam ſtella, & offertur[c] oleum ad benedicendum ampullis mediis; hora vero, qua tetigerit lignum crucis has ampullas, mox ebullit oleum foras, & niſi citius claudantur, totum refunditur foras. Revertente cruce in locum ſuum, ſtella pariter revertitur, & poſt recluſam crucem ultra non apparet ſtella. Etiam ibi eſt ſpongia & canna, de quibus legitur in Evangelio, de qua ſpongiâ aquam bibimus. Ibi eſt & calix onychinus, quem benedixit in cena Dominus, &

a. *G., in aliis mſſ* cripta, ſcripta. — b. *Addidi* &. — c. *G., al.* affertur.

alie multe virtutes : ſpecies beate Marie in ſuperiori loco & zona ipſius & ligamentum, quo utebatur in capite. Ibi ſunt & ſeptem cathedre marmoree ſeniorum.

XXI. *Turris David.*

Inde aſcendimus in *turrim David*, ubi pſalterium decantavit. Magna eſt valde, in qua ſunt monaſteria in cenaculis ſingulis : que turris quadrangula & opus ſculptum,[a] non habens tectum. In quam etiam Chriſtiani pro devotione ad manſionem aſcendunt, &, circa mediam noctem ſurgentes, audiunt voces murmurantium deorſum in valle loſaphat ad loca contra Iordanem, que reſpiciunt ad Sodomam & Gomorrham.

XXII. *Baſilica Sancte Sion & monaſterium.*

Deinde venimus in *baſilicam Sanctam Sion*, ubi ſunt mirabilia multa, inter que eſt, quod legitur de *lapide angulare*, qui reprobatus eſt ab edificantibus. Ingreſſus Dominus in ipſam eccleſiam, que fuit domus ſancti Iacobi, invenit lapidem iſtum deformem in medio iacentem, tenuit eum & poſuit in angulum: quem tenes & levas in manibus tuis, & ponis aurem in angulo ipſo & ſonabit in auribus tuis quaſi multorum hominum murmuratio. In ipſa eccleſia eſt *columna, ubi Dominus flagellatus eſt*, in qua columna tale eſt ſignum : dum eam quidam amplexus fuiſſet, pectus eius adheſit in ipſo marmore, & manus ambe & palme & digiti in ipſa petra apparent, ita ut inde pro ſingulis languoribus menſura tollatur, & qui circa collum habent, ſanantur. In ipſa columna eſt cornu illud, de quo reges ungebantur, & David. Ibi eſt & *corona ſpinea*, qua Dominus fuit coronatus, & *lancea*, de qua in latere percuſſus,

a. *P.* ſcalptum.

& lapides multi, cum quibus lapidatus eſt Stephanus. Ibi eſt & *columna*, in qua crux poſita fuit *beati Petri*, qua crucifixus eſt Rome. Ibi eſt *calix apoſtolorum*, in quo, poſt reſurrectionem Domini, miſſas celebrabant, & multa alia mirabilia, que non recolo. Ibi eſt *monaſterium* puellarum, & vidi teſtam hominis incluſam in loculo aureo, ornato gemmis, quam dicunt eſſe caput martyre Theodote: in qua multi aquam pro benedictione bibunt & ego bibi.

XXIII. *Baſilica S. Marie, xenodochia, pretorium ſeu baſilica S. Sophie, ruine templi, aque decurſus ad Siloam.*

De Sion venimus in *baſilicam Sancte Marie*, ubi eſt congregatio magna monachorum, ubi ſunt & xenodochia virorum ac mulierum: ſuſceptus peregrinus ſum: menſe innumerabiles, lecti egrotorum ſunt amplius tria millia. Et oravimus in *pretorio*, ubi auditus eſt Dominus, & modo eſt *baſilica Sancte Sophie*. Ante *ruinas templi* Salomonis, ſub platea aqua decurrit ad *fontem Siloam* ſecus *porticum Salomonis*. In ipſa baſilica eſt ſedes, in qua ſedit Pilatus, quando Dominum audivit; petra autem ibi eſt quadrangula, que ſtabat in medio pretorio. In eam levatus eſt Dominus, quando auditus eſt a Pilato, ut ab omni populo audiretur & videretur, ibique veſtigia illius remanſerunt: pedem pulchrum, modicum, ſubtilem, ſtaturam communem, faciem pulchram, capillos ſubanellatos, manum formoſam, digitos longos imago deſignat, que, illo vivente, picta & poſita eſt in ipſo pretorio. Etiam de petra illa, ubi ſtetit, multe fiunt virtutes: tollentes de ipſius veſtigiis pedum menſuram, ligant pro ſingulis languoribus & ſanantur. Et ipſa petra ornata eſt auro & argento.

XXIV. *Porta antiqua, locus Ieremie, Siloe, baſilica, piſcina, Cedron.*

Exinde venimus ad arcum,[a] ubi *antiqua porta* fuit civitatis. In ipſo loco ſunt *aque* putride, in quas miſſus eſt *Ieremias* propheta. Ab arcu illo deſcendentes ad *fontem Siloam* per gradus multos, vidimus *baſilicam volubilem*, ſubtus de qua ſurgit Siloe: que habet ſolia duo ex marmore manu hominis facta: inter ſolium & ſolium clauſura cancellorum: in uno[b] pro benedictione lavantur viri & in alio mulieres. In quibus aquis multe virtutes oſtenduntur, imo & leproſi mundantur. Ante atrium eſt *piſcina grandis* manu hominis munita, in qua populus lavatur aſſidue; nam ſolis certis horis fons ipſe irrigat aquas multas, que deſcendunt per vallem Gethſemane, que & Ioſaphat vocatur, uſque ad Iordanem in loco, ubi deficit in mare Salinarum ſubtus Sodomam & Gomorrham.

XXV. *Fons Siloa, baſilica S. Stephani, Dioſpolis, columna flagellationis.*

Fons Siloa modo intra[c] civitatem incluſa eſt, quia Eudocia, imperatrix ipſa, addidit muros in civitate, & ipſa munivit *baſilicam & ſepulcrum ſancti Stephani*, & ipſa ſuum habet ſepulcrum iuxta ſepulcrum ſancti Stephani, & inter ſepulcra ſunt greſſus ſex.[d] Et ipſe ſanctus Stephanus requieſcit foris portam ſagitte iactu, ad viam, & illa porta ex nomine ipſius vocatur. Et eſt ad viam, que reſpicit ad occidentem, que deſcendit ad Ioppen & Ceſaream Paleſtine vel *Dioſpolim* civitatem, que antiquitus dicebatur Azotus: in qua requieſcit ſanctus *Georgius martyr*.

a. *P.* archam, *C.* aream. — b. *B.* imum. — c. *G.*, *al.* infra. — d. *Ed. princeps* p. 20, *al.* gr. 20, *imo* 26.

In ipſa media via, non multum longe a civitate, eſt *columna* marmorea, *ad quam Dominus prius ducebatur ad flagellandum*: que fugiens levata a nube & poſita eſt in ipſo loco. Et in tantum cognoſcitur verum eſſe, quia non baſim habet, ubi debet eſſe fundata, ſed ſic ſtat ſuper terram & agitatur: in cuius ſummitate crux ferrea poſita eſt, & per ſcalam aſcenditur, & ſunt ibi luminaria & incenſum, in quo loco demones mundantur. Nam & in ipſa provincia multas virtutes oſtendit beatus Georgius.

XXVI. *Akeldama.*

Itaque exeuntes a Siloa fonte, venimus in agrum, qui, comparatus pretio ſanguinis, vocatur *Akeldemac*, hoc eſt, ager ſanguinis, in quo omnes peregrini ſepeliuntur. Inter ipſa ſepulcra ſunt cellule ſervorum Dei, ubi fiunt multe virtutes, & per loca ſunt inter monumenta vinee & pomeria.

XXVII. *Piſcina natatoria, alia baſilica S. Marie, Iſitius.*

Revertentes in civitatem, venimus ad *piſcinam natatoriam*, que quinque porticus habet, & in una earum eſt *baſilica Sancte Marie*, in qua multe fiunt virtutes. Ipſa vero piſcina modo redacta eſt in ſtercore, & ibi lavantur omnia, que ſunt neceſſaria in civitate. Vidimus & in uno angulo tenebroſo catenam ferream, qua ſe laqueaverat infelix Iudas. Item exeuntes a porta maiore,[a] venimus ad locum, ubi requieſcit *Iſitius*, qui ibidem in corpore iacet: ubi etiam erogantur pauperibus & peregrinis panes, quos deputavit beata Helena.

a. *Tantum Vat.* portam natatoriam.

XXVIII. *Sepulcrum Rachel, Rama, fons & eccleſia Beate Marie.*

Via, que ducit Bethlehem, milliario tertio a Ieruſalem, *iacet Rachel* in corpore, in fine loci, qui vocatur *Rama*. In ipſo loco vidi, in media via, de petra exire *aquam*, ad arbitratum uſque ad ſextarios ſex,[a] unde omnes complent ad ſatietatem bibendi, & neque minuitur, neque augetur, & eſt ſuavis ad potandum, dicunt, eo quod *beata Maria*, fugiens in Egyptum, in ipſo loco ſedit cum puero & ſitivit, & ſic continuo emanaviſſet ipſa aqua. Ibi modo *eccleſia* conſtructa eſt.

XXIX. *Bethlehem, monumentum S. Hieronymi, ad S. Davidem.*

Inde uſque *Bethlehem* milliaria tria. Et Bethlehem eſt locus ſplendidus: ſervi Dei multi. Ibi eſt ſpelunca, ubi natus eſt Dominus: in qua eſt preſepe ex auro & argento ornatum, & die noctuque[b] luminaria ibi fiunt. Os vero ſpelunce ad ingrediendum anguſtum omnino. *Hieronymus* presbyter in ipſo ore ſpelunce ipſam petram ſculpſit, & *monumentum* ſibi fecit, ubi & poſitus eſt. Medium milliarium a Bethlehem, in ſuburbio, iacet David in corpore, ſimul & Salomon, filius eius, duo monumenta, & appellatur locus ille *baſilica Sancti David*; ſed & infantes, quos occidit Herodes, in ipſo loco habent monumentum, & omnes in una requieſcunt domo, & aperiuntur ſepulcra & videntur eorum oſſa. Ante Bethlehem eſt monaſterium muro cinctum, in quo eſt multitudo monachorum congregata.

a. *Al.* VII. — b. *Al.* iugiter.

XXX. *Mambre, Hebron.*

De Bethlehem uſque ad *ilicem Mambre* ſunt millia viginti tria,[a] in quo loco requieſcunt Abraham & Iſaac & Iacob & Sara, ſimul & oſſa Ioſeph. Eſt *ibi baſilica* edificata in quadriporticus, atrium in medio diſcoopertum, & per medium diſcurrit cancellus, & ex uno latere intrant Chriſtiani, ex alio Iudei, incenſa facientes multa. Depoſitio Iacobi in terra illa die primo poſt natalem Domini devotiſſime ab omnibus celebratur, ita ut ex omni terra Iudeorum conveniat innumerabilis multitudo, incenſa ferens multa vel luminaria, & munera dans ſervientibus[b] ibidem.

XXXI. *Mons, ubi occidit David Goliam, & ubi obiit Saul.*

Item revertentes in Ieruſalem, deſcendimus in viam, que vadit Gazam & Aſcalonem. Milliario vigeſimo de Hieruſalem venimus in montem,[c] *ubi occidit David Goliam*, ubi & *mortuus* eſt *Saul* & filius eius Ionathas. Iacet ibi Golias in media via, ad caput habens acervum ingentem lignorum & ſuper eum congeriem petrarum, ita ut ad millia viginti non poſſis invenire lapidem, quem movere poſſis, quia uſus eſt talis: quoties quis illuc tranſierit, ternos ſecum defert lapides & eos proiicit ſuper ipſum tumulum. Sic & nos ſimiliter fecimus.

In *montibus Gelboe* nec ros, nec pluvia deſcendit, & nocturnis horis ſecreto videntur volvi immundi ſpiritus tamquam vellera lane vel certe unde maris.

a. *Al.* XXIV. — b. *Ber.* — c. *Omitto* Gelboe.

XXXII. *Eleutheropolis, locus occiſionis ſ. Zacharie, quercus Rogel, locus meſſorum Abacuc, fons Philippi, putei calumnia nominati.*

Deinde deviantes ad latus, venimus in civitatem, que dicitur *Eleutheropolis*, in locum, ubi Samſon cum maxilla aſini mille occidit viros, ex qua ipſo orante aqua profluit. Qui fons uſque in hodiernum diem irrigat ipſa loca; nam & in loco, ubi ſurgit, fuimus.

Deinde venimus in locum, *ubi Zacharias occiſus* eſt & iacet in corpore. Eſt ibi eccleſia ornata; ſunt ibi Dei ſervi multi.

Inde venimus ad locum, *ubi Iſaias* propheta *a ſerra ſecatus* eſt, & iacet ſub *quercu Rogel* iuxta aquarum decurſum, que ſerra in teſtimonium poſita eſt ad *ſanctum Zachariam*. Deinde venimus ad locum, *ubi Abacuc prandium portavit* meſſoribus.

Ibi eſt fons, *ubi Philippus baptizavit* eunuchum. In quibus locis ſunt *putei*, quos foderunt Abraham & Iacob, & appellaverunt *calumniam*.

XXXIII. *Aſcalon, Saraphia, Maiume, Gaza, ſ. Hilarion.*

Inde egreſſi venimus *Aſcalonem*. Ibi eſt puteus pacis in modum theatri factus, in quo uſque ad aquam per gradus deſcenditur. Ibi requieſcunt tres martyres; propria quidem habent nomina, ſed vulgariter Egyptij vocantur. Milliario a civitate *Saraphia* eſt civitas, in proximo civitatis *Maiuma Aſcalonis*. Inde venimus ad civitatem *Maiumam Gaze*, in qua requieſcit ſanctus Victor martyr. De Maiuma uſque *Gazam* eſt milliarium unum. Gaza autem civitas eſt ſplendida, deliciosa, homines in ea honeſtiſſimi, omni liberalitate decori, amatores peregrinorum. Inde milliario ſecundo requieſcit *ſanctus pater Hilarion*.

XXXIV. *Elua* (*Eluſa*), *monaſterium circa mare Salinarum.*

Deinde venimus in civitatem *Elua*[a] in capite[b] eremi, que vadit ad montem Sinai: in qua etiam ex revelatione epiſcopi ipſius civitatis audivimus *miraculum*, quod ſilere non oportet: Puella quedam nobilis, nomine *Maria*, cum nupta fuiſſet, ipſa nocte nuptus ſui ſponſus eius mortuus eſt. Ipſa hanc rem patienter portavit & intra ſeptimanam omnia ſua erogavit pauperibus vel monaſteriis. Celebrato die ſeptimo, ipſa nocte veſtimento ſponſi ſublato, inventa non eſt. De qua dictum eſt nobis, quod eſſet in eremo trans Iordanem inter calameta & palmeta, in finibus Segor, circa mare Salinarum, in quibus locis invenimus *monaſterium puellarum* quindecim vel octodecim, quas chriſtiani papulabant.[c] Que habebant unum aſellum, qui eis cibaria apportabat,[d] & nutriebant leonem terribilem ad videndum. Cumque appropinquaſſemus cellule, a rugitu illius omnia animalia, que habuimus, minxerunt & in terram corruerunt. Et dixerunt nobis, quod ipſum aſellum leo gubernaret in paſcuis, quem offerebant nobis pro centum ſolidis; ille chriſtianiſſimus, cum quo fui, pater Antoninus[e] accipere noluit, ſed miſit Hieroſolymam cito, & adduxit eis tunicas tricenas[f] & ad cellarium legumina vel oleum ad luminaria. Et ipſe nobis dixerunt de virtutibus Marie, que ambulaverat in eremo ſola, portans leguminibus ſportellas plenas vel tunicas, quas cupiebant ei adferre; ſed nullus eam invenire potuit. Attamen de iis, que ſecum duxerat, nihil reportavit revertens de eremo. Cuius afflictionem vel ploratum nulla ratione conſolari potuimus, ſed tantum ſepius flens dicebat: Ve mihi miſere, cuius cauſa me chriſtianam dico?

a. *G.*, *al.* Eluaha, Elual, Elvaal, Duaal, Duahal. — b. *P.* campo. — c. *Sic ego*, *al.* populabant, paſcebant. — d. *Sic ego*, *al.* deportabat. — e. *Nomen deeſt in G.* — f. *G.*, *al.* ternas.

XXXV. *Xenodochium S. Georgij, homines raſi.*

Proficiſcentes de civitate Elua intravimus eremum. Milliario vigeſimo eſt ibi caſtrum,[a] ubi eſt *xenodochium Sancti Georgij*,[b] in quo habent refugium tranſeuntes vel eremite ſtipendia. Inde intrantes interiorem eremum, venimus ad locum, de quo dicitur in Pſalmo: *Poſuit terram fructiferam in ſalſuginem a malitia inhabitantium in ea.* Ibi vidimus homines raſos[c] cum camelis fugientes nos, & in Hieroſolyma vidimus homines ex Ethiopia caligulis calceatos, habentes fiſſas nares & aures, & per digitos & pedes annulos miſſos. Interrogavimus: Quare ſic? Dixerunt: Quia Traianus, imperator romanus, ſignum hoc nobis reliquit.

XXXVI. *Eremus.*

Ambulantes per *eremum* dies ſex, camelis nobis aquam portantibus, ſextarium mane & ſextarium veſpere quotidie per hominem accipiebamus; amareſcente aqua in utris pelle,[d] mittebamus in eam arenam, & indulcabatur. Familie autem Sarracenorum vel uxores eorum, venientes de eremo, cum lamentatione ad viam ſedentes, ſarcina depoſita, petebant panem a tranſeuntibus: & veniebant viri earum de interiore parte eremi adducebantque utres cum aqua frigida, & dabant, & accipiebant ſibi panes, & adducebant reſtes cum radicibus, quarum odor erat ſuaviſſimus ſuper omnia aromata, nihil licentes, quia anathema habebant & dies ſuos feſtos celebrabant. Populus autem, qui per ipſam maiorem eremum ingrediebatur, numero duodecim millia.[e]

a. Eboda? — b. *P.* Sergij. — c. *Al.* raros, raſcis. — d. *M., L., edit. princ.* utribus in modum fellis. — e. *Al.* XII mill. ſexcenti.

XXXVII. *Horeb & Sina, fons Moiſis, cacumen montis cum oratorio.*

Perambulantes eremum, octavo die venimus ad locum, ubi Moyſes de petra eduxit aquam, & exinde venimus ad montem Dei *Horeb*, & inde moventes, ut aſcenderemus montem *Sina*, ecce multitudo monachorum & eremitarum. Cum crucibus pſallentes obviaverunt nobis & proſtrati in terram adoraverunt nos. Simili modo & nos facientes lacrimavimus. Tunc introduxerunt nos in vallem inter Horeb & Sina, ad cuius montis pedem eſt *fons* ille, ubi *Moyſes* adaquabat oves, quando vidit rubum ardentem, qui fons incluſus eſt intra monaſterium, quod *monaſterium* circumdatur muris munitis:[a] in quo ſunt tres abbates ſcientes linguas, hoc eſt, latinam, grecam, ſyram & egyptiacam & beſſam,[b] vel multi interpretes ſingularum linguarum. In quo ſunt condite monachorum. Et aſcendimus in monte continuo millia tria, & venimus ad ſpeluncam, ubi abſconditus fuit Helias propheta, quando fugit ante Iezabel. Ante ipſam ſpeluncam ſurgit fons, qui irrigat montem. Inde aſcendimus millia continuo tria in ſummum montis cacumen, in quo eſt oratorium modicum habens pedes ſex in longitudine, ſimiliter & in latitudine. In quo nullus manere preſumitur; ſed orto iam die, aſcendunt monachi de ſupra dicto monaſterio & faciunt opus Dei. In quo loco multi pro devotione tondent capillos ſuos & barbam, ubi & ego tetigi & totondi barbam.

XXXVIII. *Sina & Horeb, feſtum Sarracenorum.*

Mons *Sina* petroſus eſt, raro habens terram: & in circuitu eius cellule multe ſervorum Dei; ſimiliter & in

a. *G.* muriitis; turritis? — b. *Al.* &: perſam.

Horeb. Et dicunt esse Horeb terram mundam. In parte ipsius montis habent *Sarraceni idolum* suum positum marmoreum, candidum tamquam nivem. Ibi etiam permanet sacerdos eorum indutus dalmatica & pallio lineo. Quando venit tempus festivitatis illorum, recurrente[a] luna, antequam ergo dicitur luna ad diem festum ipsorum, incipit marmor illud mutare colorem;[b] mox luna introierit, quando ceperint adorare idolum, fit marmor illud nigrum sicut pix. Completoque tempore festivitatis, revertitur in pristinum colorem, unde omnino omnes mirati sumus.

XXXIX. *Manna, fere.*

Inter Sina & Horeb est vallis, in qua certis temporibus descendit ros de celo, quem *mannam* appellant, & coagulatur, & fit tamquam granum masticis: & colligitur, & dolia inde plena habent in monte, unde pro benedictione dant ampullulas modicas; nam & nobis dederunt sextarios quinque. Ex quo etiam prodito bibunt, & nobis dederunt & bibimus. Et in ipsis montibus *leo* & *pardus*, *capree* & *burdones* & *onagri* simul pascunt, nullusque eorum[c] leditur propter eremi vastitatem. Et quia iam se complebant dies festi Sarracenorum,[d] preco exiit, ut nullus subsisteret per eremum, per quam ingressi sumus. Alij per Egyptum, alij per Arabiam reversi sunt in sanctam civitatem.

XL. *Abila, Phara.*

De monte Sina usque in Arabie civitatem, que dicitur *Abila*, sunt mansiones octo. In Abila descendunt naves de India cum diversis aromatibus.

Nobis autem visum est per Egyptum reverti, & veni-

a. *Tuch, al.* precurrente, percurrente. — b. *Ed., V.* vocem. — c. *Omitto* a leone. — d. *Al.* Ismahelitarum.

mus itaque in *Pharam* civitatem, in qua pugnavit Moyſes cum Amalech: ubi eſt oratorium, cuius altare poſitum eſt ſuper lapides illos, quos poſuerunt Moyſi oranti. In ipſo loco eſt civitas munita muris e lateribus, & locus valde ſterilis preter[a] aquas. Ibi occurrerunt nobis mulieres cum infantibus, palmas in manibus portantes & ampullas cum raphanino oleo; proſtrate pedibus noſtris plantas noſtras ungebant & capita noſtra, lingua egyptiaca pſallentes antiphonam: Benedicti vos a Domino benedictuſque adventus veſter, Hoſanna in excelſis. Ipſa terra eſt Madianitarum, & ipſi habitant in ipſa civitate, dicitur, quia ex familia Iethro, ſoceri Moyſis, deſcendunt. Octingenti condome militantes in publico cum uxoribus ſuis erant, annonam & veſtes accipientes ex Egypto, nullum laborem habentes, quia nec habent, ubi (ſolum colant), eo quod totum arenis (conſtat); & preter ſingulos dies habent ſingulas equas ſarracenas, (per) capita paleas & hordeum de publico accipientes, diſcurrentes cum ipſis per eremum pro cuſtodia monaſteriorum & eremitarum propter inſidias Sarracenorum. Ante quorum timorem non exagitantur Sarraceni; nam exeuntes de ipſa civitate, fontem illi ferrant & claves tollunt ſecum. Et illi quidem ab intus ſimiliter faciunt propter inſidias Sarracenorum, quia nec habent, ubi exeant foris, preter celum & arenam.

XLI. *Magdolus, Sochot, Elim, Garandala, oratorium Moyſis, Clyſma.*

Exinde venimus *Magdolum* & *Sachot* & ad locum, ubi ſunt *ſeptuaginta palme* & duodecim fontes, & applicavimus ibi duos dies,[b] fatigati poſt tantos labores atque eremi vaſtitatem. In quo loco eſt caſtellum modicum,

a. *G., al.* propter. — b. *P.* dies multos.

quod vocatur *Surandala*, & nihil habet intus preter eccleſiam cum presbytero ſuo & duo xenodochia propter tranſeuntes. In quo loco arborem piperis vidi & in ipſa collegi. Exinde venimus ad locum, *ubi filij Iſrael tranſeuntes mare Rubrum* caſtra metati ſunt, & illic ſimiliter eſt[a] caſtellum modicum cum xenodochio. Et inde venimus ad locum, ad ripam, ubi tranſierunt filij Iſrael & exierunt de mari. Ibi eſt *oratorium Moyſis*,[b] ibi eſt & civitas modica, que appellatur *Clyſma*, ubi etiam naves de India veniunt. Quo maris loco, ubi tranſierunt, gulfus exit de pelago maiori & extenditur intus in multis millibus, quia acceſſum receſſumque habet; recedente mari omnis prefiguratio armorum Pharaonis vel veſtigia rotarum curruum parent, ſed & omnia arma in marmor converſa videntur. Illic accepimus nuces plenas virides, que de India venerunt, quas de paradiſo credunt eſſe homines, cuius gratia talis eſt: quanticumque ex iis guſtaverint, ſatiantur.[c]

XLII. *Inſula cum oleo petrino.*

Intus autem in ipſo pelago ad millia undecim eſt inſula modica, in qua eſt petra viva. In qua pendent digiti molles ut carnei, in modum dactylorum, qui fundunt unguentum, quod oleum petrinum appellant, & in quibuſdam temporibus pro grande benedictione colligitur. Vas, in quo portatur, impletum ſi fuerit & volueris reiterare ad tollendum, iam non id recipit, nec tenet. In quo loco quanticumque egroti, maxime demoniaci, pertingere potuerint, ſalvantur. Quod tunc tollentibus pro benedictione non permittitur iterum introire per Clyſma, antequam miſceatur cum oleo; nam ſi non adulteraretur, credo, quia ſemper ipſam virtutem faceret; nam

a. *Addidi* eſt. — b. *In miſſ.* oratorium Helie *præmittitur*.

c. *Al.* ſanantur.

liquor ipſius unguenti tenet continuo per duo millia odorem quemdam ſulphureum. Qualis vis enim tempeſtatis ſit maris, tamquam in ſtagno infra littus illic ſtat. Infra civitatem ipſam Clyſma, intus in baſilica vidimus loculos ligneos ſanctorum patrum eremitarum ultra octodecim.

XLIII. *Syracumba, cataracte Nili, Babylonia, Memphis, Antinoe.*

Et inde venimus per eremum ad ſpeluncam beati Pauli eremite, que vocatur *Syracumba*, ad fontem, qui uſque hactenus totum locum ipſum irrigat. Deinde iterum per eremum venimus ad *cataractas Nili*, ubi aqua aſcendit ad ſignum, monitionem manu hominis factam, & habet gradus duodecim. In proxima cataracta ex utraque parte Nili ſunt due civitates, quas dicunt filias Loth edificaſſe; una earum *Babylonia* dicitur. Tunc venimus per *campos Taneos* in *Memphis* civitatem & in *Antinoen*, in qua reſidebat Pharao, ex quibus[a] & filij Iſrael exierunt. In ipſis locis ſunt horrea XII Ioſeph plena.

XLIV. *Iterum Memphis.*

In Memphi fuit templum, quod modo eſt eccleſia: cuius una porta ſe clauſit ante Dominum noſtrum, quando cum beata Maria illic fuit, & uſque hactenus non poteſt aperiri. Ibi vidimus pallium lineum, in quo eſt effigies Salvatoris, quem dicunt terſiſſe faciem ſuam in eo & remanſiſſe ibi eius imaginem, que imago ſingulis temporibus adoratur, & nos eam adoravimus; ſed propter ſplendorem non potuimus in eam intendere, quia, quantum in ipſam effigiem intendis, immutatur in oculis tuis.

a. *G., al* ex qua.

XLV. *Athlibis, ſanctus Mennas, Alexandria.*

Deſcendentes per Egyptum, venimus in civitatem *Athlibim* & perambulavimus uſque ad *ſanctum Mennatem*, qui multas virtutes ibi operatur. Inde deſcendentes, in naviculis per ſtagnum venimus *Alexandriam*. In ipſo ſtagno vidimus multitudinem crocodillorum. Alexandria eſt civitas ſplendida, populus leviſſimus, ſed amator peregrinorum. Hereſes ibi multe ſunt. Ibi requieſcit ſanctus Athanaſius, ipſius civitatis epiſcopus, ſanctus Fauſtus & ſanctus Epimachus & ſanctus Antonius ſanctuſque Marcus & alia multa ſanctorum corpora.

XLVI. *Hieroſolyma, Ioppe, Ceſarea Paleſtine, Damaſcus, vicus Rectus, Heliopolis, Emeſa, Lariſſa, Arethuſa, Epiphania, Apamia.*

Iterum venimus *Hieroſolymam*, ubi egrotus manſi per multum tempus, evidenter collatu fidei, dum vidi per viſionem beatum Antonium & beatam Euphemiam. Quomodo venerit, pariter me ſanavit. Egreſſus de Hieroſolyma deſcendi in *Ioppen*, ubi requieſcit ſancta Tabitha, que & Dorcas dicitur. Deinde veni Ceſaream maritimam,[a] que turris Stratonis, que & *Ceſarea Paleſtine* vocatur, in qua requieſcit ſanctus Pamphilus & ſanctus Procopius ſanctuſque Cornelius, ex cuius lecto benedictionem tulimus. Inde per Galileam aſcendimus, & venimus *Damaſcum*. Ibi eſt monaſterium ad milliarium ſecundum, ubi ſanctus Paulus converſus eſt in *vico*, qui vocatur *Rectus*, in quo loco multe fiunt virtutes. Deinde venimus *Heliopolim* & exinde *Emeſam*, ubi eſt caput Iohannis Baptiſte in dolio vitreo, & oculis noſtris ibi ipſum intus vidimus & adoravimus. Exinde tranſeuntes

a. *Sic ego, al.* Philippi.

per civitates *Lariſſam*, *Arethuſam* & *Epiphaniam*, venimus in civitatem ſplendidiſſimam *Apamiam*, in qua eſt omnis nobilitas Syrorum.

XLVII. *Antiochia, Chalcis, Carrha, Barbariſſus, Sura, Euphrates, Tetrapyrgia.*

Inde exeuntes venimus *Antiochiam* maiorem, in qua requieſcit ſanctus Babylas & tres parvuli, ſancta Iuſtina & ſanctus Iulianus & fratres Machabei, hoc eſt, ſeptem ſepulcra, & ſuper cuiuſque ſepulcrum ſcripte ſunt paſſiones eorum. Et inde deſcendimus Meſopotamiam in civitatem *Chalcidem*. Deinde venimus *Carrham*, ubi natus eſt Abraham, & deſcendentes venimus *Barbariſſum*, ubi requieſcit ſanctus Bacchus, frater ſancti Sergij.[a] Inde venimus in civitatem *Suram*, per quam civitatem mediam deſcendit fluvius *Euphrates*, qui ibidem per pontem tranſitur. In ipſa civitate paſſi ſunt ſanctus Sergius & ſanctus Bacchus, & ad duodecim millia intus in eremo inter Sarracenos requieſcit ſanctus Sergius in civitate *Tetrapyrgia*.[b]

XLVIII. *Reditus in patriam.*

Tanta videntes loca miraculis plena per multas civitates & caſtella & vicos & villas & plateas, fatigati ex tam longo itinere cepimus reverti. Tranſeuntes mare venimus in Italiam, propriam regionem, adiuvante Domino noſtro Ieſu Chriſto. Ovantes venimus Placentiam, civitatem noſtram poſitam ſuper fluvium, qui dicitur Padus.

a. *G., al.* Georgij. — b. *G., al.* Tyra, Tiro.

* * *

DE

LOCIS TRANSMARINIS SACRIS

BEATI ANTONINI MARTYRIS

(E cod. Vatic. 636 A.)

PROCEDENTE beato Antonino martyre una cum collegis ſuis, ex eo quod civitatem Placentiam egreſſus eſt, in quibus locis peregrinatus eſt ire, veſtigia Chriſti ſequentes, & miracula ſanctorum prophetarum providere ceperunt. Ita exeuntibus nobis de Conſtantinopoli, venimus in inſulam Cyprum, in civitate Conſtantia, in qua requieſcit ſanctus Epiphanius, civitas pulchra, delicioſa, ornata palmis dactylorum. Dein venimus partibus Syrie, in inſula Santarus ad Tyrum. Tunc venimus Tholomaida, civitate honeſta, monaſteria bona. Tholomaida pertinet contra civitatem milia ſex in caſtra Samaritanorum miliario a Sugamina, ſub monte Carmelo, ſuper ipſa caſtra miliario ſemis monaſterium Heliſei prophete, ubi ei occurrit mulier cuius filium ſuſcitavit in monte Carmelo. Ibique eſt petra modica rotunda, quando exagitatur ſonat quia ſolida eſt.

Talis autem eſt virtus petre illius ut, ſi ſuſpenſa fuerit mulieri vel cuicumque animali, partum[a] numquam faciet, & a civitate ſex aut ſeptem millia perſonat. De Tholomaida maritima venimus in finibus Galilee, in civitatem que vocatur Neoceſarea. In qua adoravimus amola & caneſtellum ſancte Marie. In quo loco erat cathedra ubi ſedebat quando ad eam angelus venit. Deinde miliario... venimus in Chana, ubi Dominus fuit ad nuptias & accubuimus in ipſo accubitu, ubi ego indignus nomina parentum meorum ſcripſi. Ex quibus ydrie due ibi ſunt. Implevi aqua unam & protuli ex ea vinum, & in humero plenam levavi, & optuli ad altare & in ipſo fonte pro benedictione levavimus.[b]

a. *vel* iactum. — b. *vel* lavimus.

Exinde venimus in partibus Syrie, ubi requieſcit ſanctus Leontius, que civitas tempore Iuſtiniani imperatoris ſubverſa eſt a terre motu cum aliis civitatibus. Venimus exinde Bibolo, que & ipſa civitas cum omnibus ſubverſa eſt. Exin civitate Triari, que & ipſa ſubverſa eſt. Deinde venimus in civitate ſplendidiſſima Iherícho, in qua nuper fuit ſtudium litterarum, que civitas ſubverſa fuit, dicente nobis epiſcopo civitatis quia cognite fuerant perſone, excepto peregrinis qui ibi perierant. Ipſa civitas iacet ſub montana Libani. A Berito venimus Sydone, que ex parte ruit, & ipſa adheret Libano. Homines in ea peſſimi. Illic currit fluvius Aſclepius & fons unde ſurgit ſtat. De Sydone venimus Sareptha, que civitas modica & valde chriſtiana eſt, in qua cenaculum illud quod factum fuerat Helye & lectum ubi recubuit, & alius marmoreus ubi illa vidua fermentavit. In quo loco multa offeruntur, & virtutes multe fiunt. Exeuntibus nobis de Sarepta, venimus in civitate Tyro. A Tyro uſque Sareptam, continue milia vij. Tyrus hec civitas homines potentes vita peſſima, tanta luxuria que dici non poteſt. Gignit etiam publica oloſericum & diverſa genera telarum. At vero de Tyro venimus in civitatem Nazareth, in qua ſunt multe virtutes. Ibi etiam pendet thomus in quo Dominus caput habuit impoſitum. In qua etiam ſynagoga polita eſt, travis, ubi cum aliis ſedebat infantibus. Que travis a Chriſtianis agitatur & ſublevatur, Iudei vero nullo modo poſſunt eam agitare, ſet nec permittit ſe foras tolli. Domus ſancte baſilica eſt. Et multa ibi ſunt beneficia de veſtimentis eius. In civitate vero illa tanta eſt gratia mulierum hebreorum, ut in terra illa inter Hebreos pulchriores non inveniantur. Et hoc de ſancta Maria ſibi conceſſum dicunt.

Nam & parentem ſuam dicunt eam. Et dum nulla ſit caritas Hebreis erga Chriſtianos, ille vero omni ſint caritate plene. Provintia paradyſo ſimilis in tritico, in fruges ſimilis Egypto. Modi quidem, ſet precellit in vino, & oleo, & poma melliumque, ſet & milium extra naturam altum nimis ſuper ſtatum hominis, talea groſſa.

De Nazareth venimus in monte Thabor, qui mons exit in medio campeſtri, terra viva tenens circuitum, milia vi., aſcenſum milia iij., furſum ad unum miliarium. Planum in quo ſunt tres eccleſie, ubi a diſcipulis dictum eſt: Faciamus hic tria tabernacula. In circuitu diverſe civitates, que in Regum leguntur. De Thabor venimus ad mare Tyberiadis, in

civitatem que alio tempore [a] vocata eſt Samaria, modo vero dicitur Neapoli, in qua puteus eſt, ubi Dominus a muliere ſamaritana aquam petiit, & ibi facta eſt baſilica Sancti Iohannis, & ipſe puteus eſt ante cancellos altaris, & fitula de qua dicitur quod Dominus biberit, & multi egri ibi veniunt & ſanantur. Deinde [venimus] in civitate Tyberiade, in qua ſunt terme falſe. Nam aqua maris ipſius dulcis eſt, que mare circa milia viij. Deinde venimus in Capharnaum, in domo beati Petri, que eſt modo baſilica. Inde tranſeuntes per caſtra vel vicos aut civitates, venimus ad duos fontes, ſcilicet Ior & Dan. Qui in unum confluunt, & vocitatur Iordanis. Parvus ingreditur in mare, & pertranſit totum maris pelagus, uſque alio littore maris. Revertentes poſt nos, venimus ad locum ubi Iordanis de mari egreditur, tranſivimus Iordanem in ipſo loco, & venimus in civitatem que vocatur Gaddera, que & Gabaon dicitur. In iſta parte civitatis miliario tercio ſunt aque calide que appellantur terme Helye, ubi leproſi mundantur. Ibi & ſinodocium delicias de publico habens, & hora veſpertina mundantur terme. Ante ipſum vero clibanum grande eſt ſolium, qui dum impletum omnia oſtia claudunt, & per oſtium mittuntur intus, cum luminaria & incenſum & ſedent in illo ſolio tota nocte.

Et dum ſoporati fuerint, videt ille qui mundatus eſt aliquam viſionem, & dum ea recitaverit, non mundantur ipſe terme per vij dies. Ibi vero defunctus eſt collega noſter Iohannes de Placentia. Nam ipſe fluvius calidus qui vocatur Gaddera, deſcendit torrens & intrat in Iordanem, & ex ipſo ampliatur Iordanis & maior fit. Et tunc deſcendimus per Galileam iuxta Iordanem, tranſeuntes multas civitates que leguntur, venimus in civitate metropoli Galilee que vocatur Scitopolis, in monte poſita, ubi ſanctus operatur multas virtutes. Exinde deſcendimus per alia loca Samarie & Iudee in civitate Sebaſtea, in qua requieſcit Helyſeus propheta. Deſcendentes per campeſtria civitates vel vicos Samaritanorum & plateas, unde tranſivimus. Venientes poſt nos Iudei cum paliis veſtigia noſtra incendentes, tanta eſt illis execratio ut vix Chriſtianis quidem reſponſum faciunt. Attamen ut quod ab illis emere vis, non tangas prius quam precium des. Quod ſi tetigeris & non comparaveris, mox ſcandalizabuntur. Nam foris vico habent condoma una poſita, qui ipſius faciunt

a. *Vel* nomine.

reſponſum. Nummos autem non accipient de manu tua, ſet tu in aqua proiicies eos. Et denuntiant tibi quando ingrediaris. Tunc vero noli expuere. Si autem expueris, ſcandalizabuntur. Sero autem purificante ſe in aquam, & ſic ingrediuntur in vico aut in civitatem. Deinde venimus in loco ubi Dominus de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiavit, extra parvulos & mulieres, extenſa campania oliveta & palmeta.

Exinde venimus ad locum ubi baptizatus eſt Dominus. In ipſo loco filij Iſrael tranſierunt Iordanem, & filij prophetarum perdiderunt ſecurem, & ex ipſo loco Helyas aſſumptus eſt in celum, ibique mons Hermon modicus, qui legitur in pſalmo: Ad pedes montis ipſius aſcendit de fluvio nubes hora prima oriente ſole. Hierofolimam venit ſuper baſilicam que eſt in Syon & ſuper baſilicam Sancte Marie ad Sanctam Sophiam, que fuit pretorium ubi auditus eſt Dominus. Super his locis deſcendit ros ſicut pluvia, & colligunt eum medici, & in ipſo decoquntur omnes defectiones per finodochia. Nam multi langores ſanantur ibi ubi cadit ipſe ros. Ipſe eſt enim ros de quo propheta canit David: Sicut ros Hermon qui deſcendit in Syon. In illa ripa Iordanis eſt fons ubi baptizabat ſanctus Iohannes. Inde uſque Iordanem milia duo. In ipſa valle inventus eſt Helyas, quando ei corvus deferebat panem & carnes. In circuitu autem vallis ipſius multitudo heremitarum, & ibi eſt civitas prope, que vocatur Salamiada, ubi remiſerunt due ſemis tribus Iſrael, priuſquam tranſirent Iordanem, in quo loco ſunt terme ex ſe lavantes, que vocantur Terme Moyſi, ubi etiam & leproſi mundantur, & ibi eſt dulciſſimus aque fons quod bibitur propter catarcium, & multos ſanat langores. Non longe a mari Salinarum in quo Iordanes ingreditur, ſubtus Sodomam & Gomorram, ad cuius littus bitumen & ſulphur colligitur, in quo mari menſe iulio & auguſto, & uſque medio ſeptembri tota die iacent leproſi; ad veſperum autem levantur in ipſas termas, & aliquotiens Dominus quem vult mundat. Nam & generalitate eſt aliqua permiſcia. In quo mare nichil vivificatus, nec ligna nec palee ibi natant, neque homo ibi natare poteſt, ſet quicquid ibi proiectum fuerit, in profundum demergitur. De Iordane uſque ad locum in quo Moyſes de corpore exiit, ſunt miliaria viij. Exinde non multum longe a Segor, in quibus locis multi heremite. Vidimus & ibi monumentum Abſalon filij David. Tenuimus theophaniam iuxta Iordanem.

Et ibi fiunt mirabilia ubi baptizatus eſt Dominus in ipſa nocte. Eſt ibi tumulus cancellis circumdatus, & in loco ubi redundat aqua in alveum ſuum poſita eſt crux lignea intus in aquam ex utraque parte marmoris. In vigiliis theophanie grandes fiunt vigilie, populus infinitus, & quarta aut quinta vice gallo canente fiunt vigilie.

Completis matutinis primo diluculo ſurgentes procedunt miniſteria ſub divo. Et diaconi tenentes ſacerdotem, deſcendit ſacerdos in fluvium, & hora qua ceperit benedicere aquam, mox Iordanis cum magno rugitu poſt ſe revertitur, & ſtat aqua ſuperior in ſe uſque dum baptiſmus perficitur, inferior vero fugit in mare, dicente pſalmiſta: Mare vidit & fugit, Iordanis converſus eſt retrorſum. Tunc omnes Alexandri habent ibi ſuas naves cum hominibus habentes colaphos [a] plenos armatibus & balſamo. Et hora qua benedixerunt fontem, antequam incipiant baptizare, fundunt illos colaphos in fluvium & tollunt inde aquam benedictam & exinde faciunt aquam aſperſionis in ſuis navibus antequam exeant ad navigandum. Baptiſmo completo, deſcendunt omnes in fluvium pro benedictione induti ſindones & alias multas ſpecies, quas ſibi ad ſepulturam ſervant. His perfectis omnibus ſtatim aqua in proprio revertitur alveo. Nam unde ſurgit Iordanis a mare Tyberiadis, uſque ad mare Salinarum, ubi deficit, ſunt milia cxxx.

In illa vero rippa Iordanis eſt ſpelunca in qua ſunt cellule ſeptem cum ſeptem puellis que ibi infantule mittuntur. Et cum aliqua ex eis mortua fuerit, in ipſa cellula ſepelitur. Et alia cellula inciditur, & mittitur ibi alia puella, ut numerus ſtet. Et habent foris qui eis cibaria preparet. In quo loco magno cum timore ingreſſi ſumus ad orationem. Nullius ibi faciem vidimus. In ipſo loco dicitur eſſe ſudarium quod fuit ſuper caput Iheſu. Non multum longe a Iordane ubi baptizatus eſt Dominus, eſt monaſterium Sancti Iohannis valde magnum, in quo ſunt ſinodochia duo.

In iſta vero vel in illa rippa Iordanis per loca ſubmontana inveniuntur ſerpentes de quibus conficitur tyriaca. Inde venimus ad Iordanem.

De Iordane uſque Hierico ſunt miliaria vj.

Hierico autem ita videtur in oculis hominum ut paradyſus. A terre motu muri diruti. Domus Raab ſtat & eſt ſinodochium.

a. *Vel* calathos.

Set & cubiculum de quo exploratores depoſuit & oratorium eſt Sancte Marie. Lapides vero illi quos levaverunt ſibi filij Iſrael de Iordane, non longe a civitate Hierico poſiti ſunt in baſilica poſt altare.

Et ante baſilicam campus, ager Domini in quo Dominus manu propria ſeminavit, ferens ſatis quaſi modia tria. Qui etiam colligitur & numquam feritur, ſet ex ſe profert ſemen. Colligitur autem menſe februario, & inde communicatur in paſcha. Cum collectum fuerit, aratur, & iterum cum reliqua meſſe colligitur.

At vero fons aque quem indulcavit Helyſeus propheta irrigat omnem Hierico, ubi naſcitur vinum potis quod febricitantibus datur. Ibi naſcitur dactilum de libra. Ex quibus mecum in provintia adduxi & dedi inde unum domino Paterio patricio. Ibi naſcitur cedrus de libras xl & virga faſcioli duos pedes longa; ibi eſt & vitis unde in aſcenſione Domini plenas haſtas racemis in monte Oliveti venales ſunt, & exinde Pentechoſtes mixtum exinde plena colata proponuntur. Exeuntibus nobis de Iericho venimus contra Hierosolimam. Non longe ab Hierico eſt illa arbor in qua Zacheus aſcendit ut videret Dominum. Que arbor infra oratorium incluſa eſt, & per tectum deſuper ficca videtur. Igitur exeuntes de Hierico venimus contra occidentem in finiſtra manu, & intravimus villas Sodome & Gomorre. Super qua provintia deſcendit ſemper obſcura nubes cum odore ſulphureo. Nam quod dicunt homines de uxore Loth, eo quod lingendo ab animalibus minuatur, mendacium eſt, ſet ſtat in ſtatu quo fuit. Aſcendentes de montanis Hierosolimorum venimus Baoridem. Inde revertentes ad finiſtram ad oppida montis Oliveti, venimus in Bethania ad monumentum Lazari. Nam reſpicientes valles illas & perambulantes monaſteria, multa & mirabilium loca, vidimus clauſam multitudinem in monte Oliveti virorum ac mulierum.

Et rurſum in monte unde Dominus aſcendit ad patrem, ubi & iudicare veniet, vidimus monaſteria copioſa & cellulam ubi incluſa fuit ſancta Pelagia. Et in ipſo monte Iacobi, Zebedei, & Cleophe, & multa ſanctorum corpora. Deſcendentes de monte Oliveti, venimus in villam Gethſemani in loco ubi Dominus traditus eſt.

In quo ſunt tria accubita, in que ille accubuit, & nos in benedictione accubuimus, & in ipſa valle eſt domus ſancte

Marie, de qua eam dicunt ad celos fuiſſe ſublatam, & ipſa vallis Gethſemani ibidem vocatur Ioſaphat.

In dexteram partem porte eſt olivetum & ficulnea, in qua Iudas laqueo ſe ſuſpendit. Hoc eſt ad portam Hieruſalem. Cuius talea ſtat munita petris porta civitatis que coheret porte ſpecioſe que fuit templi, cuius liminare & tribulatio ſtat.

Clinantes proni in terram ingreſſi ſumus in ſanctam civitatem, in qua adorantes Domini monumentum quem ipſum monumentum in quo corpus Domini poſitum fuit, in naturalem exciſum eſt petram. Lucerna in ydria que illo tempore ad capite eius poſita fuerat, ibidem ardet die noctuque. Ex qua benedictionem tulimus & recompoſuimus ea. In quo monumento de foris mittitur terra, & ingredientes pro benedictione tollunt. Lapis vero unde clauſum fuit monumentum, ipſum eſt ante illius monumentum. Color vero petre que exciſa eſt de Golgota. Nam ipſa petra exornata eſt ex auro & gemmis, & in poſtmodum de ipſa petra factum eſt altare in loco ubi crucifixus eſt Dominus. Petra vero monumenti velut molaris, & eſt infinite ornata virgis ferreis, pendentia brachialia, dextrochiria, murene, monilia, anuli capitulares, cingella girata, baltei, coronas, imperium ex auro vel gemmis, & ornamenta plurima. Et ipſum monumentum in modum ede coopertum ex argento, & ante monumentum altare poſitum.

A monumento vero uſque Golgotha ſunt greſſi lxxx; ab una parte aſcenditur per gradus, unde Dominus aſcendit ad crucifigendum. Nam in loco ubi fuit crucifixus apparet cruor ſanguinis, & in ipſo latere petre eſt altare patriarche Abraham, in quo ibat offerre Yſaac quando temptavit eum Dominus. Ibi & Melchiſedech obtulit ſacrificium Abrahe, quando revertebatur cum victoria a cede Amalech. Tunc ibidem dedit ei Abraham omnem decimationem in hoſtias. Iuxta ipſum altare eſt cripta, ubi ponis aurem & audis flumina aquarum, & iactas pomum aut quid natare poteſt, & vadis ad Syloa fontem & ibi eum ſuſcipies. Intus Syna & Golgotha credo eſt miliarium.

Nam Hieroſolima aquam vivam non habet, preter in Solua fonte. DeGolgotha uſque ubi inventa eſt crux ſunt greſſi l.

In baſilica Conſtantini coherente circa monumentum vel Golgotha, in atrio ipſius baſilice eſt cubiculum ubi lignum crucis reconditum eſt, quod adoravimus & oſculavimus. Nam

& tytulus qui ſuper caput Domini poſitus fuerat in quo ſcriptum eſt: IHC Nazarenus rex Iudeorum, tenui in manum & oſculavi. Quod lignum crucis de nuce eſt. Procedente vero ſancta cruce ad adorandum de cubiculo ſuo & veniente in atrio ubi adoratur, eadem hora apparet in celo ſtella, & venit ſuper locum ubi crux reſidet.

Et dum adoratur crux, ſtat ſuper eam ſtella, & affertur oleum ad benedicendum ampulas medias. Hora vero qua tetigerit lignum crucis has ampullas, mox ebulliet oleum foras. Et niſi citius claudantur, totum ebulliet foras.

Revertente vero crucem in loco ſuo, & ſtella pariter revertitur, & poſt recluſam crucem ultra non apparet ſtella. Nam ibi eſt canna & ſpongia de quibus legitur in evangelio. Cum qua ſpongia aquam bibimus & calix onichilus quem benedixit in cena, & alie multe virtutes.

Species beate Marie in ſuperiori loco, & zona ipſius, & ligamentum quo utebatur in capite. Et ibi ſunt vij cathedre marmoree ſeniorum. Inde aſcendimus in turre David, ubi decantavit pſalterium magna voce valde in cenaculis ſingulis. Que turris quadrangula & opus ſculptum, non habens tectum. In qua Chriſtiani pro devotione ad manſionem aſcendunt, & circa medio noctis ſpacio ſurgentes, audiunt voces murmurantium deorſum in valle Joſaphat contra Iordanem ad loca que reſpiciunt contra Sodomam & Gomorram. Deinde venimus in baſilica ſancta Syon, ubi ſunt mirabilia multa. Inter que quod legitur de lapide angulari qui reprobatus eſt ab edificantibus. Domino ingrediente in ipſa eccleſia que fuit domus ſancti Iacobi, invenit lapidem deformem in medio iacentem, tenuit eum & poſuit in angulo. Quem tenes & levas in manibus, & ponis aurem in ipſo angulo, & ſonat in auribus tuis quaſi multorum hominum murmuratio. In ipſa eccleſia columpna eſt ubi Dominus flagellatus eſt. In qua columpna tale eſt ſignum, ut dum eam amplexus fuiſſet, in ipſa pectus eius adheſit, & apparent in ea palme & digiti, ita ut pro ſingulis langoribus menſura tollatur, & circa collum habent & ſanantur. In ipſa columpna eſt & cornu illud de quo reges ungebantur, unde & David unctus eſt in regno. Et ibi eſt corona de ſpinis de qua Dominus fuit coronatus. Ibi eſt & lancea de qua in latere percuſſus eſt. Ibi & lapides multi cum quibus lapidatus eſt Stephanus. Ibi columpna in qua crux poſita fuit beati Petri, ubi crucifixus eſt Rome. Ibi & calix in quo poſt reſurrectionem Domini miſſas celebrarunt apoſtoli. Et multa alia mirabilia que non recolo.

Ibi eſt monaſterium puellarum. Et ibi vidi teſtam hominis incluſam in loculo aureo ornato gemmis, quam dicunt eſſe caput martyris Theodote, in qua multi aquam pro benedictione bibebant, & ego bibi. De Syon vero uſque in baſilicam Sancte Marie ubi eſt congregatio magna monachorum ac mulierum, menſe innumerabiles, lecta languentum plus minus tria milia. Et oravimus in pretorio ubi auditus eſt Dominus, & modo eſt baſilica Sancte Sophie. Ante ruinas templi Salomonis ſub platea aqua decurrit a fonte Syloa ſecus porticum Salomonis. In ipſa eccleſia eſt ſedes in qua ſedit Pylatus quando audivit Dominum. Petra autem quadrangulis in qua reus levabatur, ut ab omnibus audiretur & videretur, in ea levatus eſt Dominus quando auditus eſt a Pylato.

Ibique remanſit ymago, pede pulchrum, modicum, ſubtile. Natura communis, pulchra facies, capillo ſubanelato. Manum formoſam. Digiti longi. Quantum ymago deſignat que illum viventem & pedibus ambulantem picta eſt & poſita in ipſo pretorio. Nam de ipſa petra multe fiunt virtutes, tollentes menſuram de ipſa veſtigia & ligant per ſingulos langores & ſanantur. Et ipſa petra ornata ex auro & argento. Inde venimus ad arcum ubi fuit antiquitas porta civitatis.

In ipſo loco ſunt aque putide, in quibus miſſus eſt Hieremias propheta. Ab arcu illo deſcendentibus nobis a fonte Syloa per gradus multos, eſt ibi baſilica volubilis, de ſubqua ſurgit Syloa, que habet ſolia duo ex marmore manu hominis facta, & inter ſolia clauſura cancellorum. In quibus pro benedictione in unum lavantur viri, in alium vero mulieres. In quibus aquis multa oſtenduntur, immo & leproſi mundantur, & ante atrium eſt piſcina grandis manu hominis munita, in qua lavantur populus aſſidue. Nam illis certis horis ſolis fons ipſe irrigat aquas multas que deſcendunt per vallem Ioſaphat que & Gethmani vocatur, & ingrediuntur in Iordane fluvio, ubi Iordanis deficit in mare Salinarum ſubtus Sodomam & Gomorram. Nam modo & ipſe fons Syloa infra civitatem incluſus eſt, quia Eudoxia, auguſta uxor Iuſtiniani imperatoris, addidit muros in civitate Ieruſalem, & ipſa munivit ſepulchrum & baſilicam ſancti Stephani, & ipſa ſuum habet ſepulchrum iuxta ſepulchrum ſancti Stephani.

Et infra ſepulchra ſunt greſſus xxvj & beatus Stephanus requieſcit foris portam ſagitte iactum. Una modo porta ex nomine ipſius martyris vocatur, & eſt ad viam que reſpicit ad occidentem que deſcendit ab Iope & Ceſarea Paleſtine

vel Diaſpoli civitate, que antiquitus dicebatur Azotus, in qua requieſcit ſanctus Georgius martyr. In ipſa via non longe a civitate ſtat columpna marmorea in qua Dominus prius ducebatur ad flagellandum. Que fugiens levata eſt ad nubes & depoſita in ipſo loco. Et in tantum cognoſcitur non eſſe quia non habet baſitem ubi debet eſſe fundata, ſet ſic ſtat ſuper terram & agitatur. In cuius ſummitate crux ferrea eſt poſita, & ſurſum per ſcalam aſcenditur, & fiunt ibi luminaria & incenſum, & demoniaci ibi liberantur. Nam & in ipſa provintia beatus eſt Georgius martyr. Itaque exeuntes a Siloa fonte, venimus in agrum qui comparatus eſt de precio ſanguinis Domini, qui vocatur Acheldemach, hoc eſt ager ſanguinis, in quo ſepeliuntur omnes peregrini. Et inter ipſa ſepulchra cellule ſervorum Dei, ubi fiunt multe virtutes, & per loca infra ipſa ſepulchra vinee & pomaria. Revertentibus nobis in civitatem, venimus ad piſcinam natatoriam que quinque porticus habet, & in uno eorum eſt baſilica Sancte Marie, ubi multe fiunt virtutes.

Ipſa vero piſcina modo iactata eſt in ſtercore, ubi lavantur omnia que neceſſaria ſunt. Vidimus & in uno angulo tenebroſo cathenam ferream cum qua ſe laqueavit infelix Iudas. Item exeuntibus ad portam natatoriam venimus ad locum ubi ſanctus requieſcit Yſicius.

Ibi etiam erogantur pauperibus panes, quos deputavit beata Helena. Via que ducit Bethleem iij. miliario ab Hieruſalem iacet Rachel, uxor Iacob, mater ſcilicet Ioſeph. Et Beniamin requieſcit in finibus Rama. In ipſo loco in media via vidi aquam ſurgere quaſi ſeſtarios vij. Unde complent omnes ſatietatem bibendi, & nec minuitur nec augetur, & eſt ſuavis ad potandum. Et dicunt quod fugiens beata Maria in Egyptum & ſederit ibi cum puero, & ſitiens oravit, & continuo ipſa aqua emanavit. Et in ipſo loco modo eccleſia conſtructa eſt. Inde uſque Bethleem miliaria tria. Bethleem locus ſplendidiſſimus, ſervi Dei multi. Ibi eſt ſpelunca ubi natus eſt Dominus, & preſepium ex auro & argento ornatum, & iugiter ibi ſunt luminaria. Os vero ipſius ſpelunce anguſtus. Hieronimus preſbiter in loquendo peritus, interpretacione clarus, inter cunctos relator conſpicuus, in ipſo ore ſpelunce petram ſculpivit, & ob devotionem Salvatoris ibidem ſibi monumentum fecit, miliario ſecus Bethleem. In ſuburbio iacent David & Salomon filius eius, & appellatur locus ille baſilica Sancti David. Set & infantes quos occidit Herodes

ipſo loco habent ſepulchra, & in una omnes requieſcunt domo, & aperiuntur eorum monumenta, & videntur illorum ſancta oſſa. Ante Bethleem eſt monaſterium muro cinctum, in quo multitudo eſt monachorum. De Bethleem uſque ad ilicem Mambre ſunt milia xxiiij. In quo loco requieſcunt Abraham, Yſaac, Iacob & Sara ſimul & Ioſeph oſſa. Eſt baſilica edificata in quadriporticus atrium in medio diſcoopertum, & per medium cancellum ex uno latere intrant Chriſtiani, ex alio vero Iudei incenſa facientes multa. Nam depoſitio Iacob & David in terra illa die primo poſt natale Domini devotiſſime ab omnibus celebratur, ita ut ex omni terra Iudeorum conveniat innumerabilis multitudo incenſa deferentes, vel luminaria, & dantes munera, ac ſervientes ibidem. Item revertentes per Hieruſalem deſcendimus in viam que vadit in Gazam & Abſcalon milia xx. De Ieroſolima venimus in monte Gelboe ubi occidit David Goliam gigantem. Et ibi mortui ſunt Saul & filius eius Ionathas. Iacet ibi Golias in media via. Ligneus ad caput acervus, & ſuper eum congeries magna petrarum, ita ut ad xx miliaria non poſſis invenire lapidem quem movere poſſis, quia uſus eſt talis. Quotienſcumque quis tranſit ternas ſecum defert lapides & ibi eas proiicit, ſet & nos ſimiliter fecimus. Nam in ipſos montes nec ros nec pluvia deſcendit, poſtquam David eos maledixit. Et nocturnis horis ſecreto ibi videntur volvi immundi ſpiritus, vellera lane vel unde maris.

Deinde deviantes ad latus, venimus in civitatem que dicitur Heliuteropolis, in loco ubi ille Sanſon fortiſſimus cum maxilla aſini mille occidit viros. Ex qua maxilla ipſo orante aqua profluxit. Qui fons loca ipſa uſque in hodiernum diem irrigat.

Nam in loco ubi ſurgit fuimus, deinde venimus inter templum & altare, ubi occiſus eſt Zacharias, & ubi requieſcit.

Eſt ibi una eccleſia ornata, ſunt in ea ſervi Dei multi. Inde venimus ad locum ubi Yſaias propheta de ſerra lignea ſecatus eſt, & ibidem iacet ſub quercu Rogel iuxta aquarum decurſum. Et ipſa ſerra pro teſtimonio poſita eſt ad ſanctum Zachariam. Exinde venimus in locum ubi Abacuc propheta prandium ferebat meſſoribus quando eum angelus, per verticem tenens, ſuper lacum, in quo Danihel inter leones orabat, depoſuit & ibi ſurgit fons in quo Philippus baptizavit eunuchum. In ipſis locis ſunt putei quos foderunt Abraham ſcilicet & Iacob, quos appellarunt calumniam. Inde ingreſſi

ſumus Abſcalon. Ibi eſt puteus pacis in modum theatri factus, in quo uſque ad aquam per gradus deſcenditur, ubi requieſcunt tres fratres martyres, proprio quidem habent nomina ſet vulgariter Egyptij vocantur. Miliario a civitate Sarafia eſt civitas Mazom Aſcalonites. Inde venimus in civitatem Mazomazes, in qua requieſcit ſanctus Victor martyr. De Mazoma uſque Gaza eſt miliarium. Gaza autem eſt civitas ſplendida, delitioſa, homines honeſtiſſimi, omni liberalitate decori, amatores peregrinorum. Inde miliario ſecundo requieſcit ſanctus pater Hylarion, & inde venimus in civitate Eluaha in capite heremi quewadit ad Syna montem. In qua etiam ex revelatione epiſcopi ipſius civitatis unum audivimus quod ſilere non oportet miraculum. Puella quedam nobiliſſima nomine Maria, cum nupta fuiſſet, ipſa nocte nuptus ſui mortuus eſt ſponſus eius, ipſa quoque hanc rem patienter portavit, & infra ſeptimanam omnia ſua pauperibus diſtribuit. Celebrato die ſeptimo, nocte ipſa veſte ſponſi ſublata, inventa non eſt. De qua dictum eſt nobis, quia eſſet in heremo trans Iordanem inter calamora vel palmora ante nos in finibus Segor circa mare Salinarum. In quibus locis invenimus monaſteria ultra quindecim vel xviij puellarum, que Chriſtiani populabant. Que habentes unum aſellum cibario deportabant, & nutriebant leonem terribilem ad videndum. Cumque appropinquaſſemus cellule, omnia animalia que erant nobiſcum a rugitu illius minſerunt & in terra corruerunt. Et dicebant nobis quod ipſum aſellum leo ipſe gubernaret in paſcuis. Quem & offerebant nobis pro centum ſolidis. Set pater Antonius ſuſcipere noluit. Sed miſit in Hieruſalem cito, & adduxit eis ternas tunicas, & oleum ad luminaria & legumina multa. Et ipſe nobis dixerunt de virtutibus Marie, cuius ſuperius mentionem fecimus, que ambulaverat in heremo ſola portans legumine ſportellas plenas, vel tunicas quas ei cupiebant aufferre, ſed nullus eam invenire potuit. At tamen de eis que ſecum duxerat nichil reportant revertentes de heremo. Cuius afflictionem vel ploratum nulla ratione conſolari potuimus, ſet tantum ſepius dicebat flens: Ve mihi miſera, cuius cauſa me chriſtianam dico. Proficiſcentes de civitate Heulatia, intravimus heremum miliario xx°.

In quo eſt caſtrum ubi eſt ſynodochium Sancti Georgij, in quo habent tranſeuntes vel heremite refugium ſive ſtipendia.

Inde intrantes in interiorem heremum, venimus ad locum de quo dicitur in pſalmo: Terra fructifera in falſugine, hoc eſt

in amaritudine, a malicia inhabitantium in ea. Et ibi vidimus homines raſos fugientes cum camelis. Nam & in Hieroſolima vidimus homines ex Ethiopia, habentes fiſſas nares & aures. Calliculas calciatos, & per digitos in pedes anulos miſſos. Interrogavimus quare ſic. Et dixerunt: Quia Troianus imperator ſignum hoc reliquit nobis. Ambulantes per herenum dies vj, camelis nobis aquam portantibus, ſextarius mane, & ſextarius veſpere cotidie dabatur per hominem. Amareſcente aqua in utres in modum fellis mittebamus in ea harenam & indulcabatur. Familia autem Sarracenorum vel uxores eorum venientes de heremo, cum lamentacione in via ſedentes, farcina depoſita, petebant panem a tranſeuntibus. Et veniebant viri ipſarum de interiore parte heremi, adducebantque utres cum aqua frigida, & accipiebant ſibi panes. Et adducebant reſtes cum radicibus, quarum odor ſuaviſſimus ſuper aromata, & dies ſuos feſtos celebrabant. Populus autem qui per ipſam maiorem heremum ingrediebatur ad explorandum numero xij milia dc. Qui perambulantes heremum octava die venimus ad montem Dei Choreb. Et inde moventes ut aſcenderemus montem Syna, ecce multitudo monachorum heremitarum cum crucibus pſallentes obviaverunt nos. Simili modo & nos facientes, lacrimavimus. Tunc introduxerunt nos in vallem inter Choreb & Syna. Ad cuius pedem montis eſt fons ille ubi Moyſes adaquabat oves, quando vidit ardentem rubum. Et fons incluſus eſt intra monaſterium. In quo monaſterio ſunt tres abbates ſcientes linguas, hoc eſt latinam, grecam, ſyram, & egyptiacam, & beſſam. Inde venimus ad ſpeluncam ubi abſconditus fuit Helyas propheta quando fugit Iezabel mulierem perfidam. Ante ipſam ſpeluncam ſurgit fons qui irrigat ipſum montem.

Inde aſcendimus in ſummo cacumine montis in quo eſt oratorium modicum habens in longitudine pedes vj, ſimiliter & in latitudine. In quo nullus manere preſumit, ſet orto iam die aſcendunt monachi de ſupradicto monaſterio & celebrant ipſi officium. In quo loco multi pro devotione tondent capillos ſuos & barbas. Nam & ego ibi totundi barbam meam. Mons vero Syna petroſus eſt, raro habet terram, & in circuitu eius cellule multe ſervorum Dei, ſimiliter & in Choreb. Et in parte ipſius montis habent Sarraceni ydolum ſuum poſitum marmoreum, candidum tamquam nix. Ibi etiam permanet ſacerdos ipſorum indutus dalmaticam & pallium lineum. Et quando venit tempus feſtivitatis illorum, precurrente luna, antequam egrediatur a die feſto ipſorum, incipit marmor

illud mutare colorem. Et quando ceperint adorare ydolum, fit marmor illud nigrum velut pix.

Completo tempore feſtivitatis revertitur iterum in priſtino colore, unde valde admiratus ſum. Inter Syna & Coreb eſt vallis, in qua certis temporibus deſcendit ros de celo, quem manna appellant, & coagulatur & fit tamquam gramaſticis, & habent inde plenos dolios, & dant aliis pro benedictione. Et nobis dederunt ſextarios quinque. Ex quo etiam & prodito bibunt, & nobis dederunt bibere. Nam in ipſis montibus leo & pardus, capree & burdones ſimul paſcunt, & nullus eorum a leone leditur propter heremi vaſtitatem. Et quia iam ſe complebant dies feſti Hiſmaelitarum, preco exiit ut nullus ſubfiſteret per heremum per quam ingreſſi ſumus. Alij per Egyptum, alij per Arabiam reverterentur in ſanctam civitatem. De monte Syna uſque in Arabiam civitatem que vocatur Ahela, ſunt manſiones octo. In Ahela autem deſcendentes naves de India cum diverſis aromatibus, viſum eſt nobis per Egyptum reverti.

Et venimus in civitatem in qua pugnavit Moyſes cum Amalech. Ubi eſt oratorium cuius altare poſitum eſt ſuper lapides illos quos ſubpoſuerunt Moyſi oranti. In ipſo loco eſt civitas munita de lateribus, locus ſterilis valde propter aquas. Ibi occurrerunt nobis mulieres cum infantibus palmas in manibus portantes & ampullas cum raſanino oleo, proſtrate pedibus noſtris ungebant plantas noſtras & capita, lingua egyptiaca pſallentes antiphonam: Benedicti vos a Domino, & benedictus adventus veſter, oſanna in excelſis.

Ipſa eſt terra Madian, & ipſi habitantes in ea civitate. Dicitur autem quia ex familia Iethro ſocero Moyſi deſcendunt, lxxx condomas militantes in publico cum uxoribus ſuis, annonam & veſtes accipientes ex Egypto.

De quibus locis venimus Magdalo, & Soccoth, & ad lxx duas palmas, & xij fontes, & applicuimus ibi dies duos, fatigati poſt tantum laborem & heremi vaſtitatem. In quo loco eſt caſtellum modicum quod vocatur Surandala. Eſt etiam infra ipſum caſtellum eccleſia cum ſynodochio propter tranſeuntes. Inde venimus ad locum ubi filij Iſrael tranſeuntes mare Rubrum caſtra metati ſunt, & ibi ſimiliter caſtellum cum ſynodochio. Et in loco quo exierunt de mari, eſt oratorium Helye. Et tranſeuntes venimus in locum ubi intrarunt in mare, ubi eſt oratorium Moyſi. Ibi eſt civitas parva que appellatur Clyſma, ubi de India naves veniunt. In loco vero

ubi tranſierunt, gulfus exit de pelago maiore & extenditur intus in multis milibus acceſſis receſſis que habet. Recedente mare apparet omnis ſubmerſio Pharaonis, & omnia arma in marmore mutata videntur. Ibi accepimus nuces virides que de India venerunt, quas de paradyſo credunt homines eſſe, & qui ex eis guſtaverit ſatiatur. Intus autem in ipſo pelago modica eſt inſula, in qua eſt petra viva ubi pendent lapides molles ut carnes in modum dactilorum, qui fundunt unguentum quod oleum petrinum appellant, qui pro maxima benedictione tollitur. Vas in quo portatur, ſi impletum fuerit & volueris reiterare, ad tollendum iam non eum capit.

In quo loco quanticumque egroti maxime que energumini pertingere poſſunt ſanantur. Que tollentes pro benedictione non eum permittunt iterum introire per Clyſma, antequam commiſceatur cum oleo. Nam ſi non adulteraretur, credo quia & ipſam virtutem ſemper faceret. Nam liquor ipſius tenetur continuo per ij milia. Infra civitatem ipſam que dicitur Clyſma, intus in baſilica vidimus loculos ligneos ſanctorum heremitarum patrum xiij & inde venimus per heremum ad ſpeluncam beati Pauli heremite, que vocatur Syracumba. Exinde pergentes venimus ad cataractas Nili, ubi aſcendit aqua ad ſignum manu hominis factum & habet gradus xij. Ex utraque parte ipſarum catharactarum ſunt due civitates, quas edificaſſe dicunt filias Loth, & una earum dicitur Babylonia.

Tunc venimus per campos Thaneos, & in Nemphi civitate & Antino, in qua reſidebat Pharao, ex qua filij Iſrael exierunt. In ipſis locis ſunt horrea xij Ioſeph plena. In Nemphi fuit templum que eſt modo eccleſia, cuius una porta ſe clauſit ante Dominum noſtrum quando beata Maria cum ipſo fugit in Egyptum, & adhuc non poteſt aperiri. Ibi vidimus pallium lineum in quo dicunt illum tempore illo ſe terriſſe, & idcirco ibi eius remanſiſſe veſtigia. Que ymago ſingulis temporibus adoratur, ſet & nos adoravimus, ſet propter ſplendorem non potuimus in eum intendere, quia quantum in ipſam effigiem intendis, immutatur in oculis tuis. Deſcendentes per Egyptum venimus in civitate Athlepi ad ſanctum Mennatum qui multas virtutes ibi operatur. Inde per ſtagnum navigantes Alexandriam venimus.

In ipſo ſtagno vidimus multitudinem corcodrillorum. Alexandria civitas pulchra, populus levis, ſet amator peregrinorum, hereſes multe.

Ibi enim requieſcit Athanaſius, ipſius civitatis epiſcopus, qui contra Arrium, preſbiterum ipſius civitatis hereticum, pro fide Chriſti certando multa pericula mortis ſuſtinuit temporibus Conſtantini imperatoris, Helene filio. Ibidem requieſcit ſanctus Fauſtus & ſanctus Epymacus, & ſanctus Antonius vel ſanctus Maurus, & alia multa ſanctorum corpora. Iterum venientes Hieroſolimam ubi ego eger per multum tempus iacui, uſquedum vidi per viſionem ſanctum Antonium & beatam Eufemiam, qui me pariter ſanaverunt. Egreſſus de Hieroſolima veni Ioppen, ubi iacet ſancta Thabita, que dicitur Dorchas. Deinde venimus Ceſaream Philippi, que turris Stratonis, que & Ceſarea Paleſtine vocatur. In qua requieſcit ſanctus Pamplius & ſanctus Procopius, & ſanctus Comelius, ex cuius lecto benedictionem tulimus. Inde per Galileam aſcendimus, & venimus Damaſcum ubi eſt monaſterium ubi ſanctus Paulus converſus eſt, in vicum qui vocatur rectus, in quo multe virtutes fiunt.

Deinde venimus Eliopoli, & inde venimus Emiza, ubi eſt caput ſancti Iohannis Baptiſte in dolio vitreo, & nos ibi eum intus vidimus & adoravimus. Et inde tranſeuntes per civitates, hoc eſt per Ariſſa, Ariſtoſa & Epiphanici, venimus in civitatem ſplendidiſſimam Ampamiam, in qua eſt omnis nobilitas Syrorum.

Inde exeuntes venimus Antiochiam maiorem in qua requieſcit ſanctus Babyllas epiſcopus, & tres parvuli, & ſancta Iuſtina, & ſanctus Iulianus, & fratres Machabei, hoc eſt ſeptem ſepulchra & ſuper uniuſcuiuſque ſepulchrum ſcripte ſunt paſſiones illorum. Exinde deſcendimus Meſopotamiam in civitate Chalcida. Inde venimus Carran, ubi natus fuit Abraham. Et inde venimus in civitate Barbariſſo, ubi requieſcit ſanctus Bacchus, frater ſancti Giorgij. Inde venimus in civitate Suran, per quam mediam civitatem deſcendit fluvius Eufrates, qui ibidem per pontem tranſitur. In ipſa civitate paſſi ſunt ſanctus Bacchus & ſanctus Giorgius, ſet ſanctus Giorgius in civitate Tyra requieſcit. Tunc per tanta & talia vidimus loca in miraculis poſita. Reverſi poſt nos per multa caſtella, per plateas, vicos, villas, vel civitates, fatigati ex tam longo itinere, cepimus iterum carpere tranſeuntes mare, venimus Italiam propriam regionem. Adiuvante Domino Ihesu Chriſto noſtro, pro cuius amore ab hac loca egreſſi providere ivimus, tam ſua mirabilia que ipſe inter homines habitans fecit, & beatorum apoſtolorum vel que

ante tempus incarnationis ſue ex virgine aſſumpta, olim per patriarchas & prophetas ſuos fecerat Iheſus Chriſtus Dominus noſter. Viventes ovantes venimus Placentiam, propriam civitatem noſtram, poſitam ſuper fluvium qui dicitur Padus infra iam dicta Italia.

* *
*

ITER ANTONINI MARTYRIS

(Ex cod. Caduinenſi.)

Incipit iter beati Antonini in locis ſanctis.

PROCEDENTE beato Antonino, una cum collega ſuo egreſſus ex Placentia civitate, navigantes per mare venimus in inſulam Ciprum in qua requieſcit ſanctus Epiphanius epiſcopus. Poſt hec venimus in partes Sirie, in inſulam Santaritum iuxta Tirum. Deinde venimus Ptolomaidam que eſt ſub monte Carmelo, miliario medio a monaſterio Heliſei prophete ubi occurrit ei mulier cuius filium ſuſcitavit a mortuis. De Ptolomaida maritima venimus in fines Galilee in civitatem que vocatur Gneoceſarea; deinde miliario quarto venimus in Chana Galilee ubi Dominus fuit ad nuptias. Et inde venimus in partes Sirie ubi requieſcit ſanctus Leontius in una civitate cuius nomen obliti ſumus. Que civitas tempore Iuſtiniani imperatoris ſubverſa eſt a terre motu cum aliis civitatibus. Venimus exinde Bibbolum que & ipſa civitas cum hominibus ſubverſa eſt. Ex hin[c] in civitatem Triari, que & ipſa ſubverſa eſt. Deinde venimus in civitatem ſplendidiſſimam nomine Beritho, in qua nuper fuit ſtudium litterarum que eſt ſub montana Libani. A Beritho venimus Sidonem que adheret Libano. De Sidone venimus Sarepta in qua eſt cenaculum illud quod factum fuerat Helie & lectum ubi recubuit. Exeuntibus nobis de Sarepta venimus in civitatem Tirum. A Tiro uſque ad Sarepta ſunt miliaria ſeptem. At vero de Tiro venimus in civitatem Nazareth ubi angelus Gabriel adnunciavit ſancte Marie incarnationem Domini. De Nazareth venimus in montem Tabor, ubi Dominus tranſfiguratus eſt. De Tabor venimus ad mare Tiberiadis, in civitatem que quondam appellata eſt Sichem; modo dicitur Neapolis, in qua puteus eſt ubi Dominus a muliere Samaritana aquam petiit, in baſilica Sancti Iohannis. Deinde venimus in civitatem Tiberiadim in qua eſt mare Galilee; quod lacum Iordanis facit. Inde tranſeuntes venimus ad duos fontes ſcilicet Ior & Dan, qui in unum confluunt & vocitatur Iordanis. Parvus ingreditur in lacum quod vocatur mare

Galilee, & extenditur miliariis novem. Tunc deſcendimus per Galileam iuxta Iordanem & tranſeuntes venimus in civitatem Galilee que vocatur Scitopolis. Exinde venimus in civitatem Sebaſtiam ubi requieſcit Abdias propheta. Poſt hec venimus in locum ubi Dominus de quinque panibus & duobus piſcibus ſatiavit quinque milia hominum. Venimus deinde ad locum ubi baptizatus eſt Dominus. In ipſo loco tranſierunt filij Iſrael Iordanen & filij prophetarum perdiderunt ſecurem & ex ipſo loco Helias aſſumptus eſt in celum. Ibique eſt Ermoniim mons modicus, qui legitur in pſalmo. De prefato loco ad Iordanem ſunt miliarij duo. In ipſa valle erat Helias quando ei corvus deferebat panem. De Iordane uſque ad locum ubi mortuus eſt Moiſes ſunt miliarij octo. Exinde venimus ad Segor; vidimus ibi monumentum Abſalon, filij David. De Iordane uſque Iericho miliaria ſex. Domus Raab adhuc ſtat & cubiculum de quo exploratores depoſuit. Lapides vero illi quos levaverunt filij Iſrael de Iordane non longe a civitate Iericho ſunt in una baſilica. Ante eandem baſilicam eſt campus in quo Dominus manu propria frumentum ſeminavit quaſi modia tria; qui etiam colligitur & numquam ſeminatur, ſet ex ſe profert ſemen; colligitur autem in menſe febroario & inde communicatur in paſcha. Ibi eſt fons aque quem indulcavit Heliſeus propheta, qui irrigat Iericho. Igitur exeuntes de Ierico, venimus contra occidentem in ſiniſtra manu & intravimus vallem Sodomam & Gomorram. Nam quod dicunt homines de uxore Loth eo quod lingendo ab animalibus minuatur, mendatium eſt; ſet ſtat in ſtatu quo fuit. Aſcendentes de montana, revertentes ad ſiniſtram manum, venimus ad montem Oliveti, in Bethaniam, ad monumentum Lazari & rurſum aſcendimus de monte unde Dominus ad patrem. Iuxta quem locum requieſcit ſancta Pelagia. Deſcendentes de monte Oliveti, venimus in villam Gethſemani ubi traditus eſt Dominus; in quo ſunt tria accubita, ubi ille accubuit. Ibi eſt etiam eccleſia ubi eſt ſepulcrum ſancte Marie, in valle que vocatur Ioſaphat, venimus uſque ad portam Ieruſalem in cuius dextera parte eſt ficulnea in qua ſe Iudas laqueo ſuſpendit. Inclinantes proni ingreſſi ſumus in ſanctam civitatem & venimus ad ſepulcrum Domini; uſque Golgotha ſunt paſſus octoginta; ab una parte aſcenditur per gradus, ubi Dominus ad crucifigendum aſcendit. Nam in loco ubi crucifixus eſt apparet cruor ſanguinis. In ipſo latere petre eſt altare patriarche Abrahe, in quo immolare voluit Yſaac. Ibi & Melchiſedech obtulit Abrahe panem & vinum. Iherooſolima non habet aquam preter fontem Siloe. Iuxta baſilicam ubi ſepulcrum eſt Domini & iuxta Calvarie locum eſt eccleſia que vocatur Conſtantiniana ubi tres cruces fuerunt reperte. Hic tranſactis venimus in baſilicam que vocatur Sancta Sion, ubi Dominus cenavit cum diſcipulis illucque venit Spiritus ſanctus ſuper apoſtolos. Ibi ſunt lapides cum quibus fuit lapidatus Stephanus; ibi eſt etiam columpna ubi flagellatus fuit Dominus. Iuxta eandem eccleſiam eſt alia eccleſia in pretorio ubi ſedit Pilatus quando audivit Dominum. Ibi eſt petra ubi

ſtetit Dominus quando a populo Iudeorum ut crucifigeretur adiudicatus eſt. Inde venimus ad aream ubi fuit antiquitus porta civitatis. Ibi ſunt aque putride ubi miſſus eſt Iheremias propheta. Infra civitatem Ieruſalem eſt incluſus fons Siloe, quia Eudoxia Auguſta, uxor Iuſtiniani imperatoris, addidit muros Ieruſalem & ipſa munivit baſilicam Sancti Stephani & compoſuit ſepulcrum ſuum iuxta ſepulcrum ſancti Stephani, unaque porta civitatis ex nomine ipſius martyris vocatur, & eſt ad viam que reſpicit ad occidentem que deſcendit ad Ioppen & Ceſaream Paleſtinam vel ad Dioſpolim civitatem, que antiquitus dicebatur Azotus, in qua requieſcit ſanctus Georgius martyr. In ipſa via, non longe a civitate, ſtat columpna marmorea que priuſquam Dominus duceretur ad flagellandum, fugiens levata eſt ad nubes & diſpoſita in eodem loco, que non habet baſim, ſet ſuper terram agitatur. Revertentibus nobis in civitatem, venimus ad Probaticam piſcinam, iuxta quam eſt baſilica Sancte Marie, ubi eſt nata. Deinde pergentes Bethleem, invenimus ſepulcrum Rachel, tercio miliario ab Ieruſalem. In ipſa media via invenimus fontem & dicunt quod fugiens in Egyptum ſancta Maria ibi ſederit cum puero & ſitiens oravit & continuo ipſa aqua emanavit. Inde uſque Bethleem ſunt miliarij tres. Bethleem locus ſplendidiſſimus, quia ibi eſt ſpelunca ubi natus eſt Dominus. Ibi Ieronimus, preſbiter doctor preclarus, ob devotionem Salvatoris, monumentum ſibi compoſuit. In ſuburbano eiuſdem Bethleem miliario medio iacet David in ſepulcro & appellatur locus ille baſilica Sancti David. Set & infantes, quos occidit Herodes, in ipſo loco habent ſepulcra & in una requieſcunt eccleſia. De Bethleem uſque ad ilicem Mambre ſunt miliarij xxiiij^{or}. In quo loco requieſcunt Abraham, Yſaac & Iacob & primus homo Adam. Nam depoſitio Iacob & David in regione illa tercio die poſt Natale Domini ab omnibus devotiſſime celebratur. De Ieruſalem deſcendentes ad viam que vadit ad Gazam & Aſcalon, miliario viceſimo venimus in montem Gelboe, ubi occiſus eſt Saul. Illuc prope iacet Goliad in media via, acervum ligneum ad capud eius, & ſuper eum eſt congeries magna petrarum. Deinde venimus in civitatem que dicitur Heleuteropolis, ubi Samſon fortiſſimus cum maxilla aſini occidit mille viros. Ex qua maxilla, ipſo orante, aqua profluxit, & ipſe fons loca ipſa uſque in hodiernum diem irrigat. Inde venimus ad locum ubi Iſaias propheta de ferra lignea ſeccatus eſt & ibidem requieſcit ſub quercu Rogel, iuxta decurſum aquarum. Exinde venimus in locum ubi Abacuc propheta ferebat prandium meſſoribus, iuxta quem locum ſurgit fons in quo Phillippus baptizavit eunuchum. In ipſis locis ſunt putei, quos foderunt Abraham, Yſaac & Iacob & appellaverunt Calumpniam. Inde venimus Serapiam & inde venimus Mazomam, in qua requieſcit ſanctus Victor martyr. De Mazoma uſque Gaza habet miliarium. Deinde moventes, ut aſcenderemus montem Sina, ſuſceperunt nos monachi ex eodem monte & introduxerunt

nos in vallem inter Oreb & Sina. Ad radicem montis eiuſdem eſt fons ille, ubi Moiſes adaquabat oves, quando vidit ardentem rubum, qui fons incluſus eſt infra monaſterium. Inde aſcendimus ad ſpeluncam ubi aſconditus fuit Helias propheta quando fugit Iezabel. Ante ipſam ſpeluncam ſurgit fons, qui irrigat ipſum montem. Poſtea aſcendentes in ſummitatem cacuminis montis, in quo eſt oratorium parvum, habens in longitudine pedes vij, & in latitudine ſimiliter, in quo nullus manere preſumit, ſed, orto die, aſcendunt monachi de prefato monaſterio & celebrant officium, moxque revertuntur ad monaſterium. De prefato loco venimus ad ſeptuaginta duas palmas & Magdalo & Socoth & applicavimus ibi duos dies, fatigati poſt tantum laborem. Inde venimus ad locum, ubi filij Iſrael tranſierunt mare Rubrum, & tranſeuntes venimus in locum ubi intraverunt in mare, ubi eſt oratorium Moiſi. In loco vero ubi tranſierunt, inundatio maris egreditur de pelago maiori & extenditur in multis milibus, quia acceſſam & receſſam habet. Recedente mari, apparet omnis ſubverſio Pharaonis & omnia arma illorum in marmore mutata videntur. Ibi accepimus nuces virides miri ſaporis, que de India venerunt, quas de Paradiſo dicunt homines eſſe. Tunc venimus per campos Thaneos, in qua reſidebat Pharao & ex qua exierunt filij Iſrael. Deinde pervenimus in Minſi civitatem, ubi ſunt duodecim horrea Ioſeph.

Explicit iter beati Antonini.